

www.e-rara.ch

Clavis scripturae S. seu de Sermone Sacrarum literarum

Flacius, Matthias

Basileae, 1580[-1581]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2505>

B

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

esse. Auertam oculos meos à uobis, *Isaiæ. 1* Ne auertas faciē tuā à me, *Pf. 27*. Sed de hac uoce in uerbo *Cōuertit*.

AVFERRERE, significat aliquando amouere. *Luc. 1*. Dominus respexit me, ut auferret probum meum inter homines. i. quod mihi ab hominib. obiectabatur.

AVRIS, *Inclinare aurem*, significat diligenter auscultare: ac ideo etiam sequi, & obedire alicui. Sic Latini *Præbere aurem* dicunt. Tribuitur uerò tū Deo, tū hominib. Deo, ut *Pf. 71*. Inclina ad me aurē tuā, & serua me. Hominibus, *Pfal. 78*. Inclinate aurem uestram ad uerba oris mei. Multa passim exempla reperiuntur. *Pfal. 49* paulo aliter accipitur, *Inclinabo in parabolam aurem meam*: id est, ipse quoq; simul ea audiam & discā, quæ alios docebo. Audi filia, & inclina aurem tuam. i. diligenter auscultā. *Pfal. 45*. Contrarium est *Obturare aures*. *Pfal. 58*, *Isaiæ 33*, Sicut aspides obturauerunt aures suas. Sic fermē etiam *Obturare* accipitur *Isai. 6*. *Obtura aures eorum, ne audiant. Aurem perforare* seruo subula moris fuit, si noluit liber fieri anno septimo. *Exodi 21* *Deut. 15*. quo indicatum est, eum ualde obedientem esse debere, & quasi prorsus seruilem conditionem suscipere. Sic & Christus de sua perfectissima obedientia erga patrem, *Pfal. 40*. *Sacrificium & oblationem noluisti, aurem perfodisti mihi. Quo indicatur patrem nobis obedientia Christi placatum esse. Logni in alicuius auribus, Jeremiæ 26*, & *Esse in alicuius auribus*, notæ loquutiones sunt. *Auditum est in auribus Ecclesiæ Actorum undecimo*, id est, ab Ecclesia.

AVRUM ARABICVM, item de Ophir, tanquā optimum & purissimum, in Sacris literis celebratur. *30* Dabitur ei de auro, *Pfal. 72*. *Isaiæ 60*. Per synecdochē significat omnis generis preciosissima munera: & per metaphoram, spiritualement uerūque cultum. *1. Cor. 3*. per metaphoram significat purissimam doctrinam. Sed *Apocal. 3*. aurum significat Christi beneficia ac gratiam, nempe remissionem peccatorum, & renouationem.

AVRORA, notæ significationis uox est: sed tamen sunt quædam Scripturæ loca, ubi hæc uox non nihil explicatione indiget. *Ioelis 2*. sumitur similitudo ab aurora, ad declarandam magnitudinem & subitum aduentum exercitus Babyloniorum, hisce uerbis: *Veluti aurora expansa super montes, populus multus & fortis, similis illi non fuit. Quæ similitudo perspicua est: quia sicut aurora & subito, & omnia contegit, & montibus ac cacuminibus insidere uidetur, sic & exercitus ille. Vicina huic loquutio est *Pfal. 139*. Si assumā alas auroræ, & considam in nouissimo maris. Alludit ad celerrimam radiorum solis excursionem, qui momento ab Oriente ad Occidentem perueniunt, perinde ac si aurora celerrimas alas haberet. *Non esse aut fore alicui auroram*: pro, non peruenturum eum esse ad cognitionem ueritatis, aut etiam ad liberationem: *Isaiæ 8*. Ad legem & testimonium. Si non dixerint iuxta uerbum hoc, non erit eis aurora *In aurora*, id est, statim initio: *Hoseæ 10*. In aurora exterminando exterminatus est rex Israel: pro, statim in principio regni *Oseæ*, filij *Ela*. *Palpebræ auroræ*: pro igne, scintillantes. *Iob 41*, *Oculi Beemot* sunt ut palpebræ auroræ. Ascensus aut ortus auroræ, pro, quā primū incipit aurora oriri. *Nehemiæ 4*, *Faciamus opus ab ascensu auroræ usque ad exitum stellarum*: id est, à summo mane usque ad extremum uesperum, cum obscurato lumine solis stellæ cernuntur. *Pfal. 110*, est obscurus admodum locus, ubi inter alia est uox *Auroræ*, qui accurata explicatione indigeret: sed à me breuiter hoc loco tantum attingetur. Vertūt autem eū alij aliter: mihi maximē arridet Lutheri uersio, *Populus tuus uoluntaria* (scilicet offeret) in die uictorię tuę, in ornatu sancto. Ex utero auroræ, sicut ros iuuentus tua: subintellige, tibi nascetur. *70**

Agitur omnino hic de subditis *Meschię*, quo tēpore & quomodo sint nascituri, & quā prōptē & ornate ei seruituri: nō de eius diuinitate, de qua suprā mox initio dixerat. Sēsus ergo est, quōd post uictoriā *Meschiæ* nascetur ipsi noua iuuentus aut populus, sicut ipse dicit: *Cū exaltatus fuero, omnia trahā ad me*. Docet quoque, quomodo nascetur: nēpe mirabiliter, ut nemo cernat unde ueniat: sicut ortus roris nō perinde cernitur ut pluiiæ, cuius ueluti mater nubes est omnib. cōspicua. Deniq; quōd is populus spōtē aut uoluntariē sacrificabit, idq; ornatus ac mundatus sanguine Christi: sicut antea Sacerdotes offerebant in uestitu sancto, ac diuinitus ordinato. Porro quod attinet ad copiosam & mirabilē natiuitatē nouæ iuuentutis, aut populi *Meschiæ*: sæpe miratur Scriptura, quōd tā subito & tanta multitudo mirabiliter & sine cōspicuo ortu nascetur. Quā admirabilē noui populi natiuitatē *Isaias* sæpē celebrat, ut *cap. 54* *Exulta sterilis, quæ nō paris: prorumpe in laudē, & iubila, quæ nō parturis: quoniam plures sunt filij desolatæ, q̄ filij maritatē, dicit Dominus, &c. uide sequētia. De hac puericia aut iuuentute uaticinatur *Pf. 22*. Et annumerabunt iusticiā eius populo nato, quē fecit. Et *Pfal. 102*. Populus qui creabitur, laudabit *Iehouā*. Itē *Oseas cap. 6*. Beneficiū uestri est ut nubes matutina, & quasi ros manē cadēs & abiens. Itē *Mich. cap. 1*. Et erunt reliquæ *Iacob* in medio populorū multorū, uelut ros à *Iehoua*, sicut guttē super herbā. Licet aut non possint pferri plura exēpla, ubi uox *Hebræa* ילדוּת *Ialdut* puericia, significet pueros ipsos, sed tantū ætatem uniuscuiusque: tamen uidemus istas uoces, *Iuuentus* aut *Puericia* in Latino sermone faciliē utriq; tribui, & ætati unius, & ipsi cœtui eius ætatis. Præterea *Hebræis* ualde usitatum est, ut abstractum pro concreto, & eius subiecto ponant: ut *senecta* pro *senē homine*, aut *senibus*. Sic igitur & *Iuuentus* aut *puericia*, pro *pueris* aut *iuuenibus* accipitur.*

AZYMON. Vide in uoce **FERMENTVM**.

B A



B A A L, apud *Hebræos* originaliter dominū, aut maritū significat: & quidē de austeriori ac tyrannico dominio accipitur. Verū de uerbis *Hebræis* nunc ex professo non agimus.

Fuit etiam hoc nomen *Baal*, *Bel*, aut *Belus*, cuiusdā regis *Assyriorum*, qui primus consecrata ei statua colī cœpit: quod quasi initium idololatriæ fuisse dicitur. *Iam incertū est, ab utra harum uocū, propria ne an appellatiua, sit nomen Baal, quod certū quoddam idolū, præcipuē apud Accaronitas cultū, significat: nū, quia idola, uel cacodæmon potius in idolis & per idola, tyrannicē suis cultorib. imperitet, nullū eorū cōmodum sed potius exitiū promouens: an uerō ab isto primū adorato tyranno Belo. Ab Accaronitis porro, & alijs ethnicis, *Iudæi* hunc cultū & idolū sunt mutuati. hinc toties in Scriptura fit eius mentio: *Iud. 6. 1. Reg. 18. 2. Reg. 10. 11. Ier. 23*. Plurimos aut habuit sacerdotes & cultores apud *Iudæos*, quod uel ex illis lanienis apparer, quas in eos exercuit rex *Iehu*, *2. Reg. 10. & Elias, 1. Reg. 18*. Porro per quandā catachresin, præsertim in plurali numero, uidetur factū fuisse apud *Hebræos* cōmune nomen idolorū omnium, ut *Iud. 2*, *Israelitæ* seruiuerunt *Baalim*, *2. Par. 33*, *Manasses* extruxit aras *Baalim*. *Oseæ 11*, *Baalim* immolabant, & simulachris sacrificabant. *Oseæ 2*, *Auferā nomen Baalim de ore populi mei, non recordabitur nominis eorū. Vnde cernitur, plura ac diuersa idola hoc nomine esse uocata. Depingit porro hic Oseas istū cultū ita, ut ostendat. *Iudæos* solitos ibi sese elegantius exornare, & promiscuas libidines exercere. Cum uoce *Baalim* coniungitur idolum nomine *Astarte*,**

Astarot, quod etiā uolunt fuisse cōmune quoddam nomen idolorū, præsertim fœmininorū. Cōponitur uox *Baal* cum quibusdā uocibus: ut *Baal Berith*, dominus fœderis: ex cuius idoli fano data fuerunt *Abimelech* 70. pondo argenti, ad oppressionē filiorum *Gedeonis* fratris eius. Dicitur simili ratione & *Baalzebub*, quasi diceretur Dominus muscæ, aut primaria musca. D *Hieronymus* iudicat, idē esse *Beel* & *Baal*. *Baalpeor*, dictum à monte *Peor*, in quo colebatur: aut idolū ignominiz: aut Deū hortorū fuisse, & sonare Hebræis idolum, & *zebub* muscā, quasi dicas idolum muscæ: uel *Baalzebub* hoc est, magister uel dominus muscæ. Fuit autē idolum spurcissimū, *Accaron* urbis *Philistinorū*: quemadmodū scriptum est 2. Reg. 1. Consulite *Beelzebub*. *Lutherus* alicubi admodū prolixè & diligenter exponit rationem etymi *Baalpeor*. Credo autē illud idolum nō uocatū à suis cultorib. *Baalzebub*, sed tantū à pijs Iudeis quia est contemptibile ac odiosum nomē. Certum est, quōd in Nouo testamēto Iudei hoc nomine usi sunt in malā partē, pro ipso cacodæmone: ut legitur *Matt. 12.* In *Beelzebub* principe dæmoniorum eicit dæmonia: Vbi uidetur etiam quasi explicatio etymologica addita esse, quōd idem significet *Beelzebub* quod princeps muscarum. *Mar. 3.* impij dicunt, Christum oblessum esse à *Beelzebub* spiritu. Dubium autē est, cur sic cacodæmonē uocauerint: nū ex cōtemptu, quod sit tantū muscarum dñs: aut quia instar muscæ est perpetuò ac pertinaciter homini molestus: aut deniq; quōd perinde examina cacodæmonū in aère, cū suo duce *Beelzebub* circumuolitent, sicut muscæ: quemadmodū & *Paulus* dicit, eum dominari in aère. *Beelphegor*, quod idem est quod *Baalpeor*, idoli *Moabitarū*, sit mentio *Num. 25.* *Deut. 4.* *Psal. 105.* *Ose. 9.* quod idolum sic à mōte, aut loci nomine aliqui cognominatū uolunt: *Luth.* putat à nuditate, aut turpitudine hiantē, quōd nudi priapi figuram colendam proposuerint. Fuit etiam *Baal* nomē propriū multorū hominum, de quibus nunc non agimus.

BABEL, aut *Babylon*, nomen amplissimæ ciuitatis, ad *Euphratē* sitæ, quæ olim caput regni *Assyriaci* fuit. *Deductū* est autē nomē à cōfusione: quia ibi, ut habetur *Gen. 11.* Dñs linguā ædificantū turrim *Babel*, confudit. Adfixit eadem ciuitas, qn & captiuū detinuit, populum *Dei*. Fuit adhæc plena omnium flagitiorum & idololatriæ. Inde fit, ut id nomē 1. *Petr. 5.* pro *Roma*, ut *Hieronymus* uult, ponatur: in *Apocalypsi* uerò, pro ipso regno aut horrenda tyrannide *Antichristi*, *Babylonia*, tum ipsa ciuitas, tum etiam uicina regio est uocata. De *Babylonis* totali destructione, secundum prophetias, postea ex *Diodoro Siculo* dicetur: quia quidam audent negare, eam fuisse penitus euersam.

BACVLVS scipionē, cui quis innitur iter faciēs, propriè significat. Per metaphorā autē, omne auxilium aut subsidium indicat. *Psal. 23.* *Baculus tuus cōsolatus est me.* *Baculus senectutis*, filius: apud *Tob. 1.* p subsidio senis patris. *Ieremias* inquit. *Frangetur baculus gloriofus. i. potentia Moabitarum.* Vnde tā crebrò *Baculus panis*, & *Baculus aquæ* legitur: pro annona ad sustentandas uires & uitā hanc, diuinitus ueluti fulcrum quoddā ordinata. Sicut & *Psal.* dicit, panē fulcire cor hominis. *Sepè* etiā minatur *Deus*, se esse confraeturum baculum panis & aquæ. i. omnem annonam aut uictum adempturus. *Leuit. 16. 26.* Cum confregero baculum panis. *Ezech. 4 & 5.* Conterā baculum panis in *Hierusalem*, esse alicui in baculum. *Psal. 18.* Dominus fuit mihi in baculum. i. fulcrum, seu sustentauit me. *Baculus arundinis*, sæpe significat per metaphorā, auxilia regum, quæ magis noxia quàm salutaria *Israelitis* fuerunt: quia (sicut *Scriptura* rationem metaphoræ *Esa. 36* ostendit) arundo nō est adeò fortis, ut pōdus innixi corporis sustentare possit: frangitur igitur. Vbi autē fracta est arundo

in manu innitentis, fauciat eā, ob acumē illorū fragmētōrū, instar uitri: *Ezech. 29.* sicut suprā in uoce *Arundinis* dixi. Solet. n. ita frangi, ut fragmenta sint acuminata. In baculo transire dicitur *Iacob Iordanē*, *Gen. 32. i.* extremè pauper & solitarius. quasi dicat: Nemo tūc me præter hunc unicū baculum est comitatus, is solus fuit tunc tota mea familia. Vulgo quoq; *Germanis*, *Album baculū accipere*, & *abire*, extremā paupertatem significat. Fortè à re militari apud eos sumptū est. *Hebræq; n.* superiores metaphoræ & nomina, à sustentatione scipionis deductæ sunt. *Baculus* significat etiā imperiū. *Isa. 14.* Cōtriuuit Dominus baculum impiorū. i. potentia *Ier. 48.* Quomodo fractus est baculus gloriæ. i. quàm mirabiliter fracta est potentia *Moabitarū*? Porro quōd *Christus* iā prohibet, iā iubet *Apostolos* *Baculum gestare*, indicat primū, eos debere expeditos, sine armis, sine cōmeatu ire, fidentes *Deo*, quōd ipse sit eos aliturus: postea uerò, cū iubet *Accipere baculum* ac peram, futuras difficultates hac nota indicat. **VIRGA**, alia uox est, etiā in *Hebræo*, & habet alias significationes: ut & *Sceptrū*, de quib. suo loco postea. *Baculus* quoq; sicut & *uirga*, interdū pro instrumento tyrānidis ponitur. *Isa. 10.* *O* *Assur* uirga furoris mei, qui & baculus est iræ meæ in manu istorū. i. instrumentum, quo affligo meos. *Baculus Dei*, dictus est baculus *Moylis*: quia *Deus* per eum miracula fecit. *Psal. 72.* *Baculus tuus & uirga tua me cōsolata sunt. i. cura ac gubernatio tua, sumpta loquutione à regimine pastoralis. Baculum apprehendens, est claudus. 2. Sam. 3.* Ne deficiat de domo *Ioab* apprehendens baculum, id est, mutilus ac claudus.

BALTHEVS, uide in **CINGVLO**.

BAPTISMVS, uox *Græca*, & in *Ecclesia* notissima, propriè intinctionē, (qua uoce *Tertullianus* usus est) significat. *Ducta* autē est à *βάπτω* intingo, ac *βαπτισμα* immergo. Porro per metalepsin significat abluo, lauo. Ideo *Marcus* dicit 7. cāp. *Iudæos* habuisse uarios baptismos. i. lotiones poculorū & urceorū. Item *Petrus* dicit, baptismum esse abluionem sordium. Cæterum *Dominus* ac seruator noster uoluit talem intinctionē aut lotionē in nouo Testamento esse signū ac sigillum primæ initiationis ac fœderis nostri cū *Deo*, per ipsum factę: siue ut indicaret, eodē modo nos interius potēter abluī, & super niuem dealbari sanguine & merito suo, sicut foris aqua mundaremur: siue etiam imitatione quadā illarum ueterum lotionum, quas *Deus* apud *Iudæos*, in typum spiritualis lotionis ordinauerat: siue deniq; propter alias causas ac similitudines baptismi & *Christianæ* pietatis, de quibus postea prolixius dicemus. **BAPTISMVS** igitur, & *Baptizari*, propriè significat nūc in *Ecclesia* pactum illud, quod primū ab omni *Christiano* cum *Deo* initur: cuius partes sunt promissio aut pactio utrinque à *Deo* scilicet & homine facta: & aquæ intinctio, cuius exempla sunt in nouo Testamento innumera. Ab hoc porrò ritu & sacramento, uariæ significationes, potissimū per metaphoram deducuntur, quas ordine recensebo. Habuimus ergo suprā duas Baptismi significationes, nunc tertia sequitur. **TERTIO** *Baptismus* & *Baptizari* significat internam lotionem, remissionem peccatorū & renouationem cōstantem, ob similitudinem: quōd sicut aquæ lotio externas fordes, ita baptismus Spiritus internam immundiciem eluat. ut *Marci 1.* & *Iohā 1.* dicit *Baptista*, Ego baptizo uos aqua, *Christus* baptizabit uos Spiritu sancto, Sic *Matth. 3.* & *Luc. 3.* *Christus* baptizabit uos Spiritu sancto & igne. *Act. 1.* Sic & 1. *Pet. 3.* accipitur. **QUARTO** significat aliquando totā institutionē aut doctrinā, ut *Matt. 21.* *Luc. 20.* *Baptismus* *Iohānis* eratne ex cœlo, aut nō? i. tota eius institutio, aut functio. *Act. 18.* *Apollo* tantū baptismum *Ioanānis* sciebat. i. solam eius institutionem de uenturo iamiam

iamia Mefia, eamq; non satis plenè perceperat. Sic & de illis Actõrũ 19 accipiendũ est, quod non fuerant factis instituti de passo & resuscitato Christo, totaq; Trinitate, ideo iussit eos Paulus denuo baptizari. i. plenus institui. Quoniã uerò ille locus magni momẽti est, & Anabaptistæ inde suos errores probare uolũt, ideo adscribam etiam alterius cuiusdã annotationẽ accuratam super eum. Sic adnotat Beza: In quid ergo baptizati estis? *us rĩ spũs bap̃tizati*, id est, qua igitur doctrina imbuti & initiati estis? Vulgata, In quo igitur baptizati estis? Erasmus: Quo igitur baptizati estis? utranq; hanc interpretationẽ, ac illam præsertim, idcirco repudio, quod *us* pro *spũ* interpretatur: perinde ac si scriptum esset, *spũs*, ut sit hæc sententia: Si nõ estis baptizati spiritu sancto, quare igitur estis baptizati? Quamuis .n. *us* pro *spũ* sæpe usurpetur, tamen hæc enallage (meo iudicio) nullo modo huic loco conuenit. Neq; enim puto querere Apostolum, aut à quo, aut quomodo, aut quorsum sint baptizati. Deniq; ne hoc quidem puto rogare an sint baptizati: sed cum illi dicerent, se nescire an sit Spiritus S. ac proinde ostenderent, se ignorare totam Ecclesiæ Christianæ rationem, qui tamen se discipulos dicebant: credo fecit Paulum, cur igitur doctrinæ nomen dederint, & quales se esse profiteantur. Vtitur autem uocabulo Baptizandi, & baptismatis: quia baptismus erat ipsius initiationis ac professionis tessera. Quod ut planius fiat, sciendũ est, hæc dicendi genera quæ in Scripturis occurrunt, quid ualeat, & quatenus inter se differant: Baptizari in aliquem, ut in Moysen, i. Cor. 10. Baptizari in baptisma alicuius, ut Iohãnis, hoc in loco: Baptizari in nomen alicuius, ut patris filij ac spiritus sancti, Matt. 28 uel Christi, uel Pauli: ut i. Cor. 1. Baptizari in mortem Christi: ut Rom. 6. seu, pro mortuis: ut i. Cor. 15. seu, In unum corpus: ut i. Cor. 12. seu, in remissionẽ peccatorũ. Deniq; Baptizari aqua, & Baptizari spiritu S. Itaq; Baptizari in Moysen, declarat, Moysis auspicijs ac ductu baptizari: quod dicendi genus semel tantum reperio. Baptizari in Iohannis baptisma, significat, doctrinam quam Iohannes annuntiabat, ac baptismi symbolo obsignabat, profiteri ac amplecti. Baptizari uerò in eius nomen dicimus, cui nos baptismum dicamus ac consecramus. Quamobrẽ rectè Paulus negat, sese in nomen suum quempiã baptizasse. Baptizari autem dicuntur fideles in mortem Christi, seu pro mortuis. i. ut per Christi mortem peccatum in ipsis moriatur & aboleatur. Et in unum corpus, ut omnes in Christo capite coalescant. Et in remissionẽ peccatorum, ut Christi sanguine abluantur. ut præpositio *us*, in istis omnib. finalem (quam uocat) causam designet. Baptizari aqua, siue *spũs*, id est, in aqua, nihil aliud quàm aqua immergi declarat: quæ est externa baptismi cæremonia. Baptizari autem Spiritu, aliò pertinet: nempe ad Spiritus S. dona, quibus fideles cœlitũs uisibili signo imbuebantur, interdum ante Baptismum aquæ, ut ex Cornelij historia apparet: interdum post Baptismum, ut istis accidit, de quibus hic agitur. Ex his autem diligenter consideratis, hoc quoq; efficitur, baptismatis uocabulum triplici significatione usurpari: quarum una propria est, duæ translaticia. Propria est, cum immersionẽ seu tinctionẽ declarat, quæ etiam ab effectu *Ablutio* seu lauacrum dicitur. una est translaticia, quum pro donorum Spiritus sancti quasi effusione accipitur, ut supra plurib. locis. altera, quum pro Iohannis doctrinã: ut quum queritur, an Baptismus Iohannis è cœlo sit, an ex hominibus? quum dicitur Apollo nihil nouisse quàm Iohannis baptismum. ut supra alibi. Item quum dicitur Iohannes prædicasse baptismum resipiscentiæ, ut supra, & in hoc uersiculo, ac proximè sequente. Quod autẽ de baptismatis nomine dicimus, de ipso quoq; Baptizandi

uerbo simili ratione accipiendũ est. Nam *Baptizari* dicitur minister, qui aqua tingit: & baptizari, qui aqua tingitur. Itẽ baptizat Deus, quũ Spiritus sui dona imperitur: & baptizatur Spiritu à Deo, qui Spiritus donum accipit. Baptizauit demũ baptismum resipiscentiæ Iohãnes, quum resipiscentiã doceret, cuius symbolum erat Baptismus, quẽ primus administrabit. Et baptizari dicuntur in Baptismate Iohãnis, quicunq; eo doctrinæ genere fuerunt instituti. Quum autẽ appareat, minimè extinctam fuisse cum Iohanne ipsius existimationem: sed post eius obitum multos fuisse tum qui ea docerent quæ de Mefiæ officio ac uitæ innocentiã diuinitus differuerat: tum etiam, qui hæc audita amplecterentur, quãuis Christi officium non nossent, ut de Apollo paulo antè Lucas testatus est: nec tamẽ usquam legamus, uel etiam probabile uideatur, istos, etiam si eadem illa in genere docerent quæ Iohannes, baptismum tamen Iohannis exẽplo usurpasse: minimè certè necesse est, ut, ubicunq; sit baptismatis Iohannis mẽtio, ipsam baptismi cæremoniam usurpatam putemus. Itaq; qui, propterea quod isti paulo post dicuntur in nomine IESU Christi baptizati, colligunt, diuersum fuisse baptismũ Iohannis à baptismum Christi, ideoq; ipsos fuisse rebaptizatos: certo fundamento destituuntur. Sunt autem multo ineptiores, qui rebaptizationẽ ex hoc loco uolunt stabilire. Nam etiãsi cõcederem, istos bis fuisse baptizatos: non tamẽ cõsequeretur, iterandũ Christi baptismum. Hæc Beza. QUINTO *Baptismus* accipitur pro cruce, quia crux sit etiã quædã immersio in calamitates: cum Dominus Marci 10. ad filios Zebedæi dicit: Potestis ne baptizari baptismate quo ego baptizor? i. potestis ne, patienter perferre talem ac tantam crucem propter gloriam Dei, quantã ego perferam, ut uobis ueluti præmium petatis, proximum gradum dignitatis à mea? Sic & Luc. 12. inquit Dominus Baptisma habeo baptizari, & quomodo angor donec finiatur?

SEXTO, significat quoq; *Baptismus* & *Baptizari* mortificationẽ ueteris hominis, & suscitationẽ noui: quia sicut in immersione est primũ ueluti submersio immundi hominis, postea extractio aut suscitatio mudi: sic & in baptismate dicit Paulus Rom. 6, nos esse baptizatos in mortem Christi: itẽ consueptos cum eo, ut suscitetur cum eodẽ, & nouã uitam uiuamus. i. nos tum prorsus renũciasse priori uitæ ac ueteri Adamo: & nouo. i. Christo addixisse: tum & Spiritu Domini ex ueteri homine in nouũ esse transformatos. SEPTIMO, Hebr. 6. uox baptismi de illis ueteris legis purificationibus. ac lotionibus. accipitur. quæ initiõ in primitiua Ecclesia, præsertim Apostolorum tempore, nondum erant prorsus abolitæ. Discrimen porrò aut convenientia baptismi Christi, & baptismi, tractatur in Theologia: nunc tantũ breuiter de ea re moneo, ipsum baptismum Matt. 3. ac Luc. 3. & Iesum Act 1. sic distinguere, tanquã baptismũ ministri & domini ipsius, quod minister propriè quod tantũ exterius lauet: sed Christus tunc, ac in eodẽ Sacramẽto, interius mudet. seu, Iohannẽ & aliũ quẽuis Apostolũ aut doctorẽ esse tantũ administrum externi operis: sed Christũ esse authorẽ internæ efficacis, siue exterius ipse baptizet, siue quispiã alius minister. Discrimen & in eo est, quod Iohannes in uenturũ aut certè iãã ueniẽtẽ, uel etiã præsentẽ Meschiã aut agnũ Dei baptizauit: sed Apostoli postea in passũ, suscitaturũ, & ad dexterã patris regnantẽ. Reliqua omnia suẽ re eadẽ, idemq; effectus aut efficacia. OCTAVO, baptismus i. Cor. 10. de illa miraculosa trãsitione per mare rubrũ intelligitur, qua & cõfirmati fuerũt in doctrina & educitiõe Moysi: & ipsi eo magis Moyse, uel Deo potius, eiusq; doctrinæ obligabantur. Eã dicit Paulus ueluti quendã typũ nostri baptismi fuisse. Vocetur ergo, ac sit typicus baptismus, sicut & oēs illę ueteres lotiones

tionem ac purificationes fuerunt. Porro **BAPTIS-**
MVS etiam dicitur esse interrogatio bonæ conscientie
 in Deum. 1. Pet. 3. Cui correspondens exemplar ba-
 ptismi nunc nos seruat, non ablutio sordium carnis, sed
 bonæ conscientie interrogatio in Deum per resurre-
 ctionem **IESV** Christi: id est, Baptismus nos seruat,
 non ex opere operato, quatenus tantum est externum
 quoddam opus, abluens sordes corporis: sed quatenus
 fide apprehenditur promissio gratiæ ac reconciliatio-
 nis ob Christum in Baptismo proposita. Quæ ideo di-
 citur interrogatio, quod sicut in contractibus emens
 aut comparans sibi aliquid commodi, certa ratione ac
 formulis interrogat emptorem, ac stipulatur ab eo
 querendo, An hoc aut illud mihi uendis ac tradis, &
 hac conditione ac precio, &c. cui contra uenditor re-
 spondens affirmat, sic igitur etiam in Baptismo, cum
 Deus interrogando sibi stipulatur, ac obligat nos, no-
 stramque fidem & obedientiam, tum uicissim nos no-
 bis stipulando per fidem obligamus eius paternum fa-
 uorem ac gratiam. Quare præclare Lutherus uertit
Ein bundt & explicuit per stipulationem. *Baptizari su-*
per mortuis, infra in Voce **MORTVVS** exponetur.

BARBAE ratio primum luctum significabat, *Esa. 15*
Leuit. 19. Ier. 4 sicut & Capitis. Contra apud Roma-
 nos olim, barba & coma promissa luctus ac mœroris
 indicium erat. Sic sanè & de *Mephiboset 2, Sam. 19* legi-
 tur, quod intermissa ratione barbæ, & lotionem uestium
 ac corporis, testatus sit suum dolorem de exilio Dau-
 dis. Deinde & ignominiam significabat. Sic enim Ha-
 num rex *Amon 2, Sam. 10* præcepit, dimidiam barbam
 legatorum Dauidis radi. Sic & Paulus radit barbam,
 & tondet comam, ueluti in signum doloris ac pœnitentiæ,
 & reddendi Voti tum in Cenchreis, tum Ierusalem.

BARBARVS, primum perinde in Sacris literis, ut
 & in prophanis, peregrinum significat: Credo fictici-
 um esse uocabulum, à soni peregrinæ nobisque igno-
 ræ linguæ inconcinnitate: cuius pronunciationem, e-
 tiam si per se elegantissima esset, molestè accipimus, tã
 quam inconditum quid ac rude sonans. Deinde signi-
 ficat peregrini sermonis hominem, sic Ouidius dicit,
 se esse Getis barbarum: & Paulus *1. Cor. 14* dicit, eum
 qui nostram precationem publicè clareque factam nõ
 intelligit, esse nobis barbarum, & nos uicissim ei. Sic
Psal. 114, dicitur, In exitu Israel de Aegypto, & domus
 Iacob de populo barbaro. Tertio *barbarus* incultum,
 agrestem & ferum hominem significat. Hac ratione
 primum Græci, deinde & Romani, omnes alias gentes
 barbaras, id est, incultas uocarunt. Sic & hodie Itali a-
 lias gentes præ se ut barbaras, id est, minus cultas ac
 humanas, & minus ingeniosas contemnunt.

BASAN, fuit & regio quæ Gigantum dicta est,
Deut. 3, & ciuitas regni Og, ibidem. & denique mons
 pascuosus, & pulcherrimis syluis uestitus. Inde fit, ut
 pro potentibus ac florentibus impijs per metaphoram
 hoc nomen ponatur: ut *Es. 2*, & *Ier. 12*. Deus minatur
 Basan. Sic & tauri & quercus Basan accusantur in Sa-
 cris literis: *Zach. 11* & *Es. 2* *Psal. 68* dicit Dominus, se
 aliquos ex Basan, i. illis præpotentibus, conuersurum esse.

BASILISCVS, per metaphoram satanam & poten-
 tes ac acerbos uenenatosque piorum hostes signifi-
 cat, *Psal. 91*. Super aspidem & basiliscum ambulabis,
 conculcabis leonem & draconem: id est, Deus tibi lar-
 gietur uictoriam, contra potentissimos & atrocissi-
 mos hostes ueræ pietatis. Sic & *basilisci oua*, *Esa. 59* pro
 re extremè noxia ac uenenata accipiuntur. Pinguntur
 autem ibi hominum conatus & opera, quod aut sint
 telæ aranearum, id est, res friuolæ, & nullum bonum
 usum habentes: aut etiam perniciosissimæ, ut oua ba-
 silisci. Quare nec firmi nec salutare sunt malorum co-
 natus & opera.

BATTOLOGIAM prohibet Christus in precib:
Matt. 6. i. prolixâ garrulitatè aut murmur, sine omni ue-
 ra fide ac intellectu precû: in qua prolixa garrulitate
 preclarum, plerumque impij summam precû laudè collocat.
 Súpta aut est hæc Græca uox à Batto, homine impedi-
 tæ linguæ, siue sit ille Cyrenarum cõditor: siue de quo
 in fabulis est, quod sit à Mercurio conuersus in lapidè,
 ob indicatum furtum: quod tales homines & ineptè
 loquantur, & cogantur sæpius iterare sermonem, an-
 tequam plenè suum sensum expriment. Sic enim etiã
 impij in suis precationibus diu multumque garriunt,
 nec tamen sciunt quid garriant aut blaterent.

BATHVS, genus mensuræ liquidorum est, conti-
 nens, teste *Ezech. 40* decimam partem cori: id est, 432 oua
 gallinacea. Eadem est cum *Ephi. 1. Reg. 7. Ezech. 45*.
 Dicunt *Epha* continere decem gomor. *Iosephus scri-*
bit, eam continere 72 sextarios.

BEATVM esse, significat in genere idè quod benè
 habere, felicè esse, bona comodaque uita frui. Istud autè
 Benè habere, non unius generis est. nã ut taceamus er-
 rantiũ opiniones, qui uel diuitè, uel honoratũ, uel po-
 tentè, uel uoluptatib. fruuntè, beatũ esse dicunt (sicut
Psal. 144. tales errantium opiniones taxantur) etiã
 ipsa Scriptura uarias facit beatitudines, aliã in comu-
 ni uita, aliã coram Deo. *Ecclesiast. 25*, hæc nouè dicuntur
 constituere beatitudinè in hac uita: lucundè cum sua fa-
 milia uiuere, Subuersionè hostiũ uidere, Habitare cum
 sensata muliere, Lingua nõ labi, Non seruire indignis,
 Habere amicos sinceros, Docere iusticiam, Cupidum
 esse discendi, Consequi sapientiã ac scientiã, & timere
 Deũ. Similiter *fermè & Psal. 128*. felicitas hominis de-
 scribitur. Paulus etiã de comuni uitæ comodis acci-
 pit hanc uocè, cum dicit, beatiorè fore cœlibè. Item Do-
 minus, cum dicit, Beatæ erunt steriles: scilicet, comodi-
 us in eo statu habebunt, non dolentes aliorũ præter su-
 am calamitatem. Sic *Psal. 136*, Beatus qui retribuet ti-
 bi retributionem, & allidet paruulos tuos.

Deinde, *Beatitudo* aliquando pro iustificatione ac re-
 conciliatione accipitur: quod illi demum felices sunt,
 qui Deo propitio fruuntur. *Psal. 32*, & *Rom. 4*. Tertio
 tribuitur à Christo *Matt. 5*, & *Luc. 6*, ingens beatitudo
 illis, qui uarias cruces, labores ac dolores, propter Chri-
 stum patiuntur, non quod in illis miserijs sit per sese
 beatitudo, sed quod illa sunt & notæ beatorũ, & Deus
 ea amplissimè, præsertim in altera uita, remuneret.
 Quarto, beatitudo aliquando etiam eterna illa, uereque
 beata uita uocatur: ut *Apocalypsis 7*, Beati non esuri-
 ent, neque sitient amplius. sic *Apocalypsis 14*, Beati qui
 in Domino moriuntur.

Beatificare, pro beatũ facere: *Prouerb. 3. Gen. 30*. Bea-
 tificabunt, aut beabunt me filij, *Luc. 1*. significat, beatã
 prædicabunt me omnes generationes. Sic & *Isa. 3*, Et
 beatificantes, aut beatum prædicantes hunc populũ,
 seduxerunt eum. *Iob* quoque 9. est, Aures audientium
 beatificauerunt me.

BEHEMOT, & *Leuiathã*, duæ ingentes beluæ in Sa-
 cris literis celebrantur, quarum etiã prima origo *Esd. 6*.
 (qui liber inter Apocryphos numeratur) hoc modo
 describitur: Tũ quoque (scilicet die quinta creationis) ani-
 mantia duo parasti, quorũ uni imposuisti nomen He-
 noch (credo Behemot legendũ esse) alterũ uocasti Le-
 uiathan: & alterũ ab altero separauisti. non enim poterat
 pars septima, quod aqua sese collegerat, ea capere. Vnã
 partè assignasti Henoch, quæ tertia die siccata est, ut
 habitet in ea, milleque mœtes eã intercurrunt. *Leuiathã*
 autem tribuisti septimam partè humidam: quã bestiã
 parasti, ut esset quæ deuoraret quos uelles, & quando
 uelles. Omnino uidetur indicare Satanam, qui iam
 ueluti carnifex Dei est. Porro *Iob 40*, hoc modo am-
 bae istæ bestiæ depinguntur: Ecce Behemot, quem
 feci,

feci, tecum fœnum quasi bos comedet: fortitudo eius in lûbis eius & uirtus illius in umbilico uentris eius: stringit caudam suam quasi cedrû, nerui testiculorum eius perplexi sunt, ossa eius uelut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ: ipse est principium uiarum Dei: qui fecit eum, applicabit gladium eius. Huic montes herbas ferunt, omnes bestię agri ludût ibi, sub umbra dormit in secreto calami, & locis humentibus: protegunt umbræ umbram eius, circumdabunt eum falices torrentis: ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius: in oculis eius quasi hamo capiet eum, & in sudib. perforabit nares eius. An extrahere poteris Leuiathâ hamo, & fûne ligabis linguâ eius? nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillâ eius? nunquid multiplicabit ad te preces, & loquetur tibi mollia? nunquid feriet tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum? nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis cum ancillis tuis? Concident eum amici, diuident illum negociatores: nunquid implebis sagenas pelle eius, & gurgultium piscium capite illius? pones super eum manum tuam? Memento belli, nec ultra addas loqui. Ecce spes eius frustrabitur eum, & uidentibus cunctis præcipitabitur. Verùm iam de singulis istis uocibus separatim, ac primùm de Behemot. Behemot igitur significat, omnes ingentes & immanes bestias terrestres: sicut Leuiathan omnes immanes beluas aquaticas. Sed sub illis describitur Scriptura, & præsertim Iob 40 capite, potestatem & potentiam diaboli & familiæ eius, turbæ scilicet impiorum, & Antichristi. Est autem Behemot Hebræum nomen pluralis numeri, cuius singulare est Behema, Latine animal aut bestiam significans: Behemot uerò, multitudinem animalium terrestrium, aut, si mauis, ingentes bestiarum moles. In Græco redditur *βημια*, id est, feras. Utitur ergo Scriptura interdum hoc plurali pro singulari, maioris emphasis gratia. Porrò Leuiathan significat in Scriptura, ut dictum est magnam quandam maris bestiam aut draconem uel etiam quæuis maiora monstra maris: ut cete, balænas, & similia. Sic Psal. 104 legitur, quòd mare sit ingens, quodq; in eo existât innumera animalia, parua ac magna. Vbi & additur: Illic naues uadunt, & Leuiathan iste quem formasti ad ludendum in eo. Dubium autem est, an dicat Leuiathan ludere in mari, aut Deum in Leuiathan. Cæterùm per metaphoram primùm significat præpotentes reges, quòd illi perinde uel dominantur, uel grassentur super populos multos qui (teste Apocalypsi) per aquas significantur, ac Leuiathan belua in mari super alios pisces. Inquit enim Isa. 27, In die illa uisitabit Dominus in gladio suo duro, magno ac forti, super Leuiathan serpentem uetem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet draconem qui est in mari. Quòd pleriq; exponunt de Pharaone, quia ille in aquis, & ex aquis, tum uicini maris, tum & Nili, uiuebat ac uigebat. Simul uerò subindicatur, quale monstrum sit Leuiathan: nempe esse serpentem aut draconem aquaticum. Eadem metaphora utitur & Psal. 74: Tu contriuisisti capita Leuiathan, dedisti eum in cibum populo solitudinum. Agit de miraculis educationis populi: inter alia uerò & hoc recenset, quòd regem Aegyptium, eiusq; magnates tum in ipsa Aegypto castigauerit, tum postea in mari rubro prorsus perdiderit, eumq; populo Israelitico per solitudinem erranti in prædam dederit. Significat igitur & ibi Leuiathan, Pharaonem. Iob. 3. Cap. dicit de desperatis hominibus, quòd parati sint excitare Leuiathan: id est, Satanam ipsum ex desperatione inuocare. Puto sanè ibi hoc nomen per metaphoram significare ipsum cacodæmonem. Porrò eiusdem 40 Cap. ita describit immensam magnitudinem ac potentiam dua-

rum beluarû, Behemot terrestris, & Leuiathan aquatici, ut non obscure per eas cacodæmonem ipsum notare uideatur.

BELIAL propriè, si etymologiâ aut compositionem spectes, significat aut sine fructu, sine omni utilitate: uel certè, ut Hieronymus uult, sine omni iugo: ut Aquila uertit, apostatam. Hac uoce Paulus 2. Cor. 6. uocat ipsum satanam, inquit: Quæ conuentio Christo cum Belial? Commodè autem tribuitur hoc nomè Satanæ, quia ille defecit à Deo, & non uult iugum aut imperium Dei ferre. sic & 1. Sam. 2, filij Heli dicuntur filij Belial, nescientes Dominum: ubi etiam opinor significare ipsum diabolû. Sic & Deut. 13. Iud. 19. 1. Sam. 12. Sam. 16. & 20. legitur: in quibus omnibus locis rectè Satanam intelligeres: sicut nouum Testamentum uocat filios diaboli. Alij malunt interpretari filios maliciæ aut iniquitatis. Hieronymus aliquoties uertit in ueteri Testamento, Diaboli.

Verbum Belial est effusum in eum, Psal. 41, id est, grâde aliquod scelus, ob quod ita punitur. Porrò Psal. 101. Non ponam uerbum Belial ante oculos meos: uidetur omnino significare, Non sequar falsam doctrinâ. Alij intelligunt, malas causas: quod est minus significans. Denique Dauid queritur de torrentibus Belial, Psal. 18. intelligens nimirum, impetum ac furorem contra se, non tantum impij mundi, sed etiam Satanæ ipsius, ac omnium inferorum, qui eum circumdederint & circumuenerint.

Bellum, & Bellare, notæ uoces sunt: tantum phrasæ quasdam earum percurram. Tribuuntur autem non tantum hominibus, sed & Deo.

Arma belli, sunt bellica instrumenta. Deut. 1. Accinxistis nos armis belli uestri: pro, armis uestris bellicis. Apprehendere bellum, est bellare. Num. 31. Deus facit cessare bella usque ad extremum terræ. Psal. 46. Idem dicitur Psal. 76. hisce uerbis, Illic confregit sagittas, arcus, scutum & gladium, ac bellum. Psal. 140. Qui omni die congregant bella: id est, præparant. Sic disponere bellum cum omnibus instrumentis bellicis, 1. Par. 12. Tacientes bellum, dicuntur milites, 1. Reg. 12. Videre bellum, pro, perpeti. Ier. 42. In qua terra non uidebimus bellum, & pane non esuriemus: id est, ubi nec fames, nec bellum erit. Sanctificare bellum, est præparare ac adornare. nam id sæpe significat uerbum sanctificare. Alij putant esse allusionem ad illam solennem sacramq; belli indictionem, qualem Rom. per suos fœciales adhibebant. Mich. 3. Qui non dederit escâ in os eorum, sanctificant bellum. Bellum Domino cum Amalec à generatione in generationem, Exod. 17, id est, Deus erit perpetuò hostis Amalekitarum, & tandem eos abolebit. Psal. 39. A bello manus tuæ ego defeci: id est, propter tuam castigationem.

Porrò 1. Sam. 17. paulo aliter accipitur, Iehouæ enim est bellum: pro, à Domino est uictoria belli: aut, ipse regit bellum, & dat exitum pro suo arbitrio. Vir belli, dicitur miles, aut etiam bellicosus uir. 1. Sam. 16. Potentem robore, ac uirum belli. Sic mox sequenti Capite, Ipse est uir belli ab adolescentia sua. Et sequenti, Præfecit eum Saul uiris belli. Vir belli dicitur est, is qui cum aliquo belligeratur. Isa. 41. Erunt tanquam nihil, & in nihilum redigentur uiri belli tui: id est, tui hostes. 2. Par. 35. Non contra te hodie, sed contra dominum belli mei. Idem ualeat, uir bellorum cum aliquo, 2. Sam. 8. Quia uir bellorum Thoi cum Hadarezer. Stella quoq; pugnare aut bellare dicuntur, Iudicum 5. Pugnauerunt aut bellauerunt de cælis stellæ contra Siferam: id est, Deus cœlitus contra eum pugnavit, eiusq; exercitum dissipauit. Opiniones bellorum, habet uulgata Marc. 13. ubi in Græco est, rumores bellorum. Per metaphoram quoduis certamen, etiam spirituale, denotat. Sic Deus dicit Ier. 1 & 15. Bellabunt aut pugnabunt contra te, & non

non preualebūt. Idem Hebraismi sunt nominis *Pugna*, & uerbi pugnare. nam in Hebræo est fermè idem thema Nilham. Vnde bella & lites sunt inter uos? Iac. 4. abusuè priuata certamina indicat.

BENEDICERE, Græcè *ἀγαθόν*, Hebraicè בָּרַךְ *be rech*, ualde multa & uaria significata in Scriptura habet, quæ redigemus in ordinem, ut commodissimè poterimus. **PRIMUM** igitur ac maximè propriè significat bene de aliquo dicere aut loqui, seu ipsum laudare, prædicare, celebrare, gratias agere. Sic sæpissimè in Sacris literis accipitur, præsertim cum homines Deū benedicere dicuntur, ut Psal. 103, Benedic anima mea Domino: id est, celebra, lauda, gratias ei age pro omnibus beneficijs eius. Idem est quod D. Virgo dicit, Magnificat anima mea Dominum: id est, celebros & magnum prædico eum ex animo. Huius significati plurimus omnino est in Scripturis usus, cum dicimur benedicere Domino: aut cū legimus, benedictus Dominus. Sic & ab hominibus erga homines, aliquando pro laudare accipitur: ut Psal. 62, Ore suo benedixerunt, corde autem maledixerunt. Item, seductores seducunt per benedictiones, Rom. 16. Sic mittuntur legati ad Dauidem, qui benedicant & laudent eū, quod prosperè pugnauerit contra Hadadezer. 2. Sam. 8. Sic Iob 31 dicit, Benedixerūt mihi latera pauperum, quod ea restitui: id est, pauper percepto beneficio calefactionis laterum ac membrorum, mihi gratias egit. *Benedicere* non rarò etiā significat bene precari alicui: ut Gen. 12, pollicetur Dominus se benefacturum benedictionibus Abrahamo: id est, ei fauentibus, & bene precantibus. Sic Melchisedech benedicit Abrahamo, Gen. 14. Iacobus Pharaoni, fratres Rebecæ & in similib locis.

SECUNDO *benedicere in nomine Domini*, id est in uocato Domino beneprecari. Psal. 118, & 129, Benediximus uobis in nomine Domini: id est, bene precati sumus. Huc referatur, quod *benedicere* aliquando simpliciter orare significat. 1. Cor. 14. Alioqui si tu benedixeris spiritu, is qui implet locum indocti, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratiarum actionem: id est, si tu Spiritus impulsu, ac dono peregrinæ linguæ oraueris, quomodo poterit imperitus tuis precibus assentiri, suaq; fide ac assensu eas confirmare, te illi præeuntem consequi, ac unà tecum orare? Num. 6. legitur: Sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: Ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui. ubi prius *benedicere* significat beneprecari, posterius autem benefacere. Est uerò obseruandum, quod sacerdotalis benedictio non tantum est simplex bona precatio, sed etiam ueluti pignus ac testimonium fauoris Dei, & omnino habet quādam uim ac efficaciam clauis soluentis & absoluentis. Ad hanc sacerdotalem benedictionem referri potest, quod Hebr. 7. dicitur: Citra controuersiam minor à maiore benedicitur. Sic liberi à parentibus, non contrā, benedicuntur. Sic Abrahamus pater Leuitarum, à Melchisedech, typo Christi, benedicitur: unde excellentia sacerdotij Christi supra Leuiticū probatur. **TERTIO**, quia piorum iustæ preces, siue in bonum siue in malū, non sunt ociose, sed ipsas res afferunt: ideo sæpè significat etiam ipsa quasi bona largiri, ut cum pij parentes benedicunt liberis: sicut Noachus filio Sem & Iaphet, & Isaacus Iacobo ac Esau Gen. 27. dicit enim Isaacus, se ipsasmet res aut bona tradidisse Iacobo, eumq; dominum Esau fecisse. Gen. 49. Benedictiones patris tui fortiores fuerunt benedictionibus parentum meorū, id est, maiora bona impetraui ego tibi à Deo, quàm mihi mei parentes. **QUARTO**, quia beneprecando, ac nomen Dei celebrando, res ipsas quasi sanctificamus, augustiores, Deoque commendatiores reddimus: ideo 1. Cor. 10, Poculum benedictionis: & mox, Quod be-


nedicimus, consecratum aut sanctificatum significat: id est, quod recitatis uerbis mandati ac institutionis consecratur in hunc usum, ut sit sanguis Christi, quo eius nouum testamentum sanciat. Vicinum huic est, quod ipse & Paulus alibi dicit, cibos per uerbū & precatorem sanctificari. Sic 1. Sam. 9, dicitur Samuel benedicturus sacrificio. In hac significatione etiam Deus dicitur benedixisse diei septimo, id est sanctificasse, magnificentiore ac gloriosiore cæteris reddidisse, & specialiter cultui suo dedicasse. In hoc sensu putauerunt Papistæ, se posse uarias res benedicere, herbas, campanas, salem, aquam, aram, & similia: nisi quod & sine mandato Dei id sunt ausi facere, & nimiam quandam, planeque diuinam sanctitatem & efficaciam illis suis adiuratis rebus tribuerunt, putantes se suis illis consecrationibus quamuis uim ac efficaciam, non tantum corporalem, sed & spiritualem, rebus illis externis ac elementaribus indere. *Benedicere* aliquando uidetur etiam significare futura prædicere. nam Patriarchæ beneprecantes filijs, etiam futura illis prædicebant.

QUINTO, cum hoc uerbum ad Deum, ubi omnes res ac uoces significantiores sunt, transfertur, significat non tantum beneprecari, sed & ipsum benefacere: sicut contrā *maledicere*, perdere significat. nam (ut scriptum est) Ipse dixit, & facta sunt: eius dicere est facere, eius uerba sunt res ipsæ. Sic igitur toties pollicetur Deus, se benedicturum: id est, benefacturum Abrahamo. Et, In semine tuo benedicetur, id est, beatæ à Deo fient, omnes gentes: Gen. 12. 22 & 26. Hinc benedictio Abraham, in Nouo testamento: id est, beatitudo ei & eius semini promissa. Gal. 3. Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fidei Abraham. Et paulo post, Ut in gentes benedictio Abraham fiat, aut perueniat: id est, illa eximia beatitudo Abrahamo ac semini eius, in eoque omnibus gentibus promissa, Gen. 12. 18. 22. 26 & 28. ubi ter repetita est promissio erga Abraham, quarto erga Isaacum, & quinto ad Iacobum: priores duæ & ultima sunt in Niphal, seu passiuua uoce, ut rectè uertatur, Benedicetur: posteriores uerò duæ, tertia, & quarta in Hitpaël seu reciproca uoce, ut uerti queat, Benedicent se: id est, beatas se esse agnoscent, ac gloriabuntur ob semen Abrahæ: priores ergo duæ & ultima sententiæ, disertè loquuntur de passiuua benedictione, quæ continget gentibus ob Abrahamum & eius semen: posteriores uerò, de agnitione ac celebratione illius acceptæ benedictionis, aut promissæ felicitatis. Admodum autem pulchrè fidei, aut fidelis credentis uis hominis uis aut ingenium, in illa reciprocatione depingitur. Nam fides, aut fidens, & agnoscit se ob illud semen benedici: & impetrat sibi applicationem illius benedictionis, ad thronum gratiæ cum illo ipso semine ascendens, & denique semet consolatur in omnibus difficultatibus ac tentationibus, semet confirmando de illa Dei benedictione, iuxta illud, Spiritus clamat Abba pater, & dat testimonium spiritui nostro, quod filij Dei sumus: postremò etiam confitetur ac gloriatur de illa benedictione. Aptissimè igitur per illud reciprocum hitbarech, lucta fidei cum dubitationibus ac tentationibus & peccatis, & illa perpetua aspersio aut purificatio, illud perpetuum Remitte remitte, depingitur. Impij blasphemiq; Iudæi calumniatur illas promissiones, tanquam si loquantur non de causali, sed exemplari benedictione: seu non dicant, quod propter Christum, eiusque meritum benedicentur homines: sed tantum proposito exemplo Abrahami, sint sibi alijsque imprecaturi similem felicitatem. ac si dicerent: Utinam ita mihi aut tibi Deus benefaxit, sicut Abrahamo, eiusque posteris. At contrā, quod de causali, efficaci que benedictione ibi agatur, probatur primū ex præcedentibus promissionibus, quod

femen mulieris conteret caput serpentis, id est, aufe-
ret potentiam tyrannidem, & pœnas satanæ, quibus
premit homines, eosque contraria felicitate ditabit.
Sic & Noachi parentes intelligunt, Deum efficaciter
hominibus per quoddam semen benedicturum, in-
quientes: Iste consolabitur, aut liberabit nos ab opere
nostro, & dolore manuum nostrarum, ac à maledictio-
ne, &c. Denique ipsemet Deus, cum primùm hanc
promissionem proponit Gen. 12. explicat simul, quo-
modo eam intelligat, nempe de efficaci benedictione, 10
quam sit amicis aut adiunctis Abrahæ impertiturus, in-
quiens, Eris benedictio: & Benedicam benedicienti-
bus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, & Benedi-
centur in te omnes familiæ terræ. Vbi disertè exponit
Deus, Abrahamum fore efficacem causalemque bene-
dictionem, quia ipsemet sit omnibus ei benedicienti-
bus amicis aut adiunctis, propter eum, seu propter e-
ius semen benedicturum. Hoc est quod Paulus dicit,
hæreditare promissiones Abrahæ: & Christus, Conui-
uari cum Abrahamo, aut in sinu eius foueri in regno
cælorum. Eodem etiã facit passiva vox בְּרַכָּה
Nibrechu, quæ non potest de exemplari ac uerbali bene-
dictione accipi, sed de reali ac efficaci tantum. Eodem
faciunt omnes promissiones ac prophetiæ de Mes-
schia, quæ maxima bona ex illo semine Abrahæ mun-
do pro uentura affirmant: ut necesse sit hæc promif-
siones de benedictione in Abraham & eius semine, in-
telligi de realissima ac efficacissima beatone, quæ to-
ti mundo per hoc semen continget. Ex eo quoque ma-
nifeste uanitas istorum calumniæ deprehenditur, quod 30
si de sola exemplari benedictione ageretur, nõ toties,
nec tanta *in copia* aut specie hæc promissio repeteretur.
Præterea multi inter Ethnicos fuerunt, qui illustriora
exempla felicitatis hominibus suppeditare potuerunt:
per quæ tanquam maiora, ipsis notiora, gratiora, ac ma-
gis domestica sibi, precari benedictio potuerunt. Postremo,
quota pars mundi nouit per eorum religionem Abra-
hamum, nisi quod nunc per nostrum Meschiam eum
cognouit? Ad hæc etiam, quantilla tandem fuit illa fe-
licitas Abrahami, quam gentiles in eo admirari potue-
runt, qui toties promissam, expectatam ac desideratam
terram non est consecutus: sed ut peregrinus sursum
ac deorsum non sine graui cruce oberrauit, & usque ad
extremum senium orbis uixit? Sed redeo ad explica-
tionem uerbi. Secundum hanc igitur realem benedi-
ctionem multa in Scriptura dicuntur, qualia sunt &
hæc dicta: Venite benedicti patris mei, id est, quibus
pater fauet, & re ipsa benefacit, uosque beat. Sic, Benedi-
cta tu in mulieribus, id est, inter omnes mulieres tu
summè felix à Dea effecta es. Sic Genes. 24, Veni bene-
dicte Domini, id est, quem Dominus benignè respicit,
ac beat. Sic, Benedicet Dominus iusto, suæ hæredita-
ti, suo populo, Psal. 5. 28. 29. Benedicat nos Deus, De-
us noster, Psal. 67. Item Psal. 109. Maledicent illi, tu au-
tem benedices. In hoc sensu dicit Moses, se proponere
Israelitis benedictionem & maledictionem, id est, feli-
citem & infelicitatem, diuinitus illis prouenturam.
Sicut autem uaria sunt beneficia Dei: ita & uerbum
Benedicere uariè accipitur, cum etiam ipsam Dei be-
neficientiam significat. Nam aliàs est Benedicere spiri-
tuale, ut supra audiuimus; & Ephe. 1. dicit Apostolus,
Deum illis benedixisse omni benedictione spirituali,
id est, ditasse donis spiritualibus. Aliàs corporaliter be-
nefacere significat. Sic Deus benedixit omnibus ani-
malibus, præsertim homini, ad multiplicationem, Gen.

1. 91. 7. Psal. 107. De hac & Gen. 49. Benedixit te bene-
dictionibus cæli desuper, & abyssi cubantis infra. Nõ
nunquam & in certa re, aut certis rebus alicuius homi-
nis, Deus benedicere dicitur. Sic benedixit Dominus
domui Aegypti propter Ioseph. Gen. 39. id est, auxit,
ditauit & fortunauit eum in omnibus suis rebus. Sic
Psal. 131. Benedicam annonæ aut uictui eius, & paupe-
res saturabo panibus. Benedixit Deus opera manuum
tuarum, Deuter. 1. & Iob. 1. id est, fortunauit. Sic Gen.
49. petit Iac. ut Deus benedicat Iosepho benedictioni-
bus cæli desuper, & abyssi iacentis deorsum. benedi-
ctionibus uteri & uulua: id est, beneficijs uarijs affi-
ciat. Psal. 21. Preuenisti eum benedictionibus optimis,
id est, summis beneficijs. **§ B E X T O**, siue ab hac signi-
ficatione diuina, siue quod salutantes, præsertim suos
magnates, solent offerre munera, sit, ut benedictio etiã
humana beneficia signet ut 1. Sam. 25. dicit Abigail
ad Dauidem, & cap. 30. Dauid ad Israelitas, Accipite
benedictionem: pro munus. Sic & Gen. 33. Iacob ad E-
sau ait. Sic & 2. Reg. 5. usurpatur. Sic & Paulus usurpat
benedictionem *ἀπορίας* pro eleemosyna. Sic idem A-
postolus dicit, quod qui seminat in benedictionibus,
is & metet in benedictionibus, id est, largis beneficijs.
In eundem sensum dicit rex Assyrius Iudæis, Facite
mecum benedictionem, id est, præstate mihi hoc be-
neficium. Sic Prouerb. 11. Anima benedictiones impin-
guabit, id est, benefica. Deut. 29. Benedicere sibi in cor-
de aut anima, dicendo Pax erit mihi, est sibi met blandi-
diri, sibi bona dicere ac polliceri. *Benedictione esse*, id est,
à Deo benedictum haberi. Zac. 8. Quemadmodum fui-
stis maledictio inter gentes, ita seruaabo uos, & eritis
benedictio: id est, existimabimini benedicti. Vel om-
nes sibi inuicem similem felicitatem imprecabuntur,
nostrum exemplum ac nomen usurpantes. Vel denique
uos eritis causa benedictionis ac felicitatis mundi, quia
ex Iudæis est salus. Sic Psal. 21. Posuisti eum benedi-
ctiones. Contrariam prorsus significationem habet
uerbum *Maledicere*, de quo suo loco. In primo Genes.
aliquoties dicitur, Deum benedixisse tum homini, tum
& alijs animalibus: quod significat, illum eas efficaces
potentesque in suo genere effecisse, tum ad procreatio-
nem, tum & ad alia sua opera ac officia. Græci dicunt
benedicere & maledicere aliquem, Latini alicui: He-
bræi & cum Accusatiuo & cum Datiuo construunt.
Denique *Benedicere* per antiphrasin significat etiam ma-
ledicere, aut execrari. 1. Reg. 21. Iob. 1. 2. Si forte benedi-
xerunt filij mei. Item: Benedic Domino, & morere.
Thomas de uerbo Benedicere ita 2. Corint. 1. annotat:
Nos benedicimus Deum, & Deus benedicit nos, sed
aliter & aliter. Nam dicere Dei, est facere. Psal. 33. Di-
xit, & facta sunt. Vnde benedicere Dei est, bonum fa-
cere, & bonum infundere. Et sic habet rationem cau-
salitatis ut Gen. 1 & 22. Benedicens benedica tibi, &c.
Benedicere autem nostrum non est causale, sed reco-
gnoscitiuum, seu expressiuum. Vnde benedicere no-
strum idem est quod bonum recognoscere. Cum ergo
gratias agimus Deo, benedicimus illi, id est, recogno-
scimus eum bonum, datorem omnium bonorum. Tob.
12. Benedicite Deum cæli, &c. Daniel 3. Benedicite
omnia opera, &c. Hæc ille. Quo uerò non tantum uo-
cabuli huius significationes tato magis memoriæ sub-
ijciantur, sed etiam ad rei ipsius noticiam aliquis ac-
cessus habeatur, in Tabulam breuiter eius significatio-
nes diducemus.

BENEDICERE



BENEPLACITVM, aut *Beneplacere*, seu etiam *Bona uoluntas*, uox plurimi usus, & maximi momenti in Sacris literis: interdum non parum obscuritatis habet, præsertim ob aliarum uocum connexionem. Sunt uero in genere duæ huius uocabuli significationes: altera passiva, cum nobis aliquid ualde placet, tanquam nobis salutare ac suaue, quod per acquiescentiã ac fruitionem denotatur: altera actiua, cum beneplacet aliquid cui nos gratis ac sponte fauimus, quod uoce fauoris & gratiæ gratiæ exprimi queat. Sed dicam etiam plenius de hisce duobus uocis huius significatis. Significat igitur aliã animi affectum, quo in aliqua re tanquam eximio bono acquiescimus, eoquẽ ita delectamur, ac in eo toti sumus, & ueluti delectamur, adeo ut nihil ferẽ amplius aut aliud requiramus aut exoptemus, tanquam si ultimum & summum terminũ omnium nostrorum desideriorum aut uotorum, atque adeo ipsum summum bonum feliciter consecuti essemus. Quem animi affectum declarat Christus, cum dicit: Regnum cœlorum esse simile agro, habenti latentem thesaurum: aut preciosissimã margaritã, quã mercator uenditis omnibus suis bonis emit, eaque suauissimẽ fruitur. Talem animi sui acquiescentiam, approbationem, & suauissimam in aliquo obiecto delectationem aut perfruitionem, declarat Deus, cum de Dauide pronunciat, se inuenisse uirum secundum cor suum, id est, qualem cor suum desiderat, aut in quo uerẽ, plenẽ ac solidẽ cor suum acquiescat. Multo uerò magis, cum de unigenito filio cœlitus clamat: Hic est filius meus delectus, in quo acquiesco, aut mihi bene complacui. Nam & illud dictum de Dauide, potissimum de hoc Dauide dictum fuit, cuius ille tantum typum gessit. Eadem uerba, ac de eodem suo Meschia, dicit Deus Isaia 42. Ecce seruus meus, cui innitar: electus meus, in quo complacuit animæ meæ. id est, quo unicẽ delectatur anima mea, & in quo singulariter acquiescit. Hic cordis nostri affectus talis est, ut licet illud eiusmodi obiectum ardentissimẽ amemus, tamen nos inde ueluti quoddam ingens bonum ineffabilesq; de-

licias nobis hauriamus, summumq; quendam fructũ, non illud obiectum à nobis, sed nos ab eõ percipiamus. Est igitur hæc ueluti passiva quædam significatione, in qua non propriẽ ac præcipuẽ nos alteri benefacimus: sed nos ab eo bene patimur, aut ingens quoddam commodum felicitatemq; percipimus. Hæc igitur sit primã *Beneplaciti* significatione, ueluti passiva, quæ commodissimẽ Latino uerbo aut phrasi, In aliquo acquiescere, delectari eõ, aut in aliquo totum esse, exprimitur. Posset autem dici *Acquiescentia* singularis uoluptas, delectatio, oblectatio, delictum animi: sicut de T. Cæsare est apud Suetonium, quod sit amor & delictum generis humani uocatus. Huc referri possunt per se rectissimã ac sanctissimã, & quæ quasi merendi quandã uim habent: ut est passio ac meritum Christi. Sic Deus in omnibus suis consilijs & actionibus, tanquam ualde bonis, suum beneplacitum habet. Sic tota diuinitas dicitur beneplacito consensisse, habitare in Christo, Coloss. 1. & Deo beneplacuisse, per stultitiam prædicationis saluos facere credẽtes. Alterã *Actiua*, & quasi contraria huic significatione est, cum aliquem, licet indignũ, & unde nos nihil boni nobis expectamus, summo fauore ac amore, & plusquam paterna beneuolentia complectimur, eiq; ex imo corde bene facimus, aut certẽ benefacere cupimus, & (quantum omnino nobis possibile est) conamur. Quam animi propensionem aut beneplacitum, ideo actiua significatione Beneplacitiam ac beneuolentiam uoco: quia non nos ex tali obiecto aliquod nostrum magnum commodum percipimus, petimus, aut expectamus: sed nos potius ad illud iuuandum, fouendum, & ueluti beatandum totos ex imis uisceribus offerimus, & ueluti ofundimus, pronissimosq; ac promptissimos exhibemus. In hac significatione, *Beneplacitum*, propriẽ fauorẽ & singularem quandam beneuolentiam. qualis est patrum aut matrum *φιλία* erga liberos, significat Tali *δὲ δὴ* aut beneplacito nos miseros peccatores in Christo, aut ob Christum, Deus complectitur, in suo sinu fouet, & exosculatur. Talem sui cordis *δὲ δὴ* aut be-

neplacitiam, uel fauorem, etiam Paulus prædicat se erga Israelitas habere, Rom. 10. ob quam in præcedenti capite dicit, se cupere uel anathema fieri pro Israelitis. Sic de spontanea eleemofyna legitur Rom. 15. Consentit Macedonia & Achæia collationem facere. Quin & amor aut studium piorum erga Deum, Beneplacitum uocatur. Phil. 1. Quidam etiam propter beneplacitum Christum prædicant: id est, ob pium studium erga Deum. Duarum igitur istarum contrariarum significationum illustria exempla sunt in beneplacito Dei erga filium suum, & porro erga nos. Filium enim suum unigenitum tali quodam beneplacito completitur, ut ipse inde quasi ingens quoddam bonum sibi petat & accipiat, utpote ex longè dignissimo & obedientissimo filio, qui solus omnibus præceptis ac uotis Dei longè largissimè, ac planè secundum cor ipsius satisfecerit, omnemque uoluntatem eius impleuerit. Nos uerò contrà, tali quodam amore & beneplacito completitur, ut ex quibus tanquam longè indignissimis, nihil profus ipse fructus aut commodi percipiat, sed tantum nobis sese dedat, plusquam paternis ac maternis uisceribus nos foueat, omniaque sua bona aut thesauros summa promptitudine in nos libentissimè & liberalissimè effundat. Est uerò obseruanda horum duorum beneplacitorum harmonia. Nam ob passiuum beneplacitum, quod habet Deus in filio, eiusque abfolutissimo sacrificio, obedientia ac merito, & unde sui cordis plenissimam oblectationem deliciasque haurit, porro uicissim se in nos effundit, actiuo beneplacito seu fauore gratuito nos indignissimos, imò & hostes suos gratis sibi adoptans, iustificans, renouans, ac uita æterna donans. Opponuntur ergo ista duo, sicut acquiescere in aliquo, aut suam *ἀναπαύσει* uel sufficientiam habere: & contra alicui ex animo fauere, eumque toto pectore fouere. Sed tamen ex priori beneplacito posterius proficiscitur. Istæ ergò duæ significationes sunt propriæ ac primariæ uocis Beneplaciti, aut bonæ uoluntatis: tamen etiam plures specialiores istis subdiuisis reperiri queant. Diligentissimè autem duo illa hic expendantur & obseruentur: de quibus fortè postea aliquid in uoce VOLUNTAS addam. Nunc aliorum quosque de hisce uocabulis sententiam adscribam, ac primum quidem ex nouo Testamento haustam, deinde ex ueteri, ubi simul etiam ipsæ originale uoces Græca & Hebræa explicabuntur: tamen non ita perspicuè hæcæ duas significationes distinguant ac explicent. Sentit igitur Hieronymus, *ἀδελφία* esse Græcis nouam uocem, quam primum LXX excogitarint, ut possent exprimere Hebræum רַצוֹן Razon. uult uerò *ἀδελφία* dici, ubi quid non solum placuit, sed & rectè placuit. Verùm certum est, uerbum *ἀδελφία* apud bonos & ueteres autores reperiri pro fauere, quod Budæus ex Diodoro probat. Illud nihilominus non negarim, quòd postea uerbum hoc in multo maiori usu fuerit in hac significatione ob sacras literas Græcè uersas. Porro Erasmus annotat super posteriorem ad Thessalonenses, Euangelistas & Apostolos solere hac uoce excludere merita ac opera hominum. Sed adscribam quædam eius loca ex Annotationibus, ad uerbum. Inquit ergo super Matth. 3. in quo mihi complacuit) *ἐν τῷ ἀδελφίᾳ*. Verbum est peculiare diuinis literis, quo propensum animum ac præcipuum quendam affectum significant. Perinde sonat quasi dicas, In quo bonam de me ipso habeo opinionem, & (ut ita loquar) ipse mihi placeo, siue in quo mihi complacitum est. Augustinus sermone 63 legit, In quo bene sensi: sequutus Cyprianum suum, qui itidem legit libro aduersus Iudæos decimo, cap. 14. Vterque secutus uidetur Tertullianum, qui libro contra Praxean legit, In quem bene sensi. & hic sequutus est, ut opinor, Irenæum, qui frequenter hoc mo

do loquitur. nam *ἀδελφία* id Græcis sonat, unde illis *ἀδελφίαι* dicuntur celebres, & de quibus magnifica est opinio. Idem in II Matth. Et placitum fuit) *ἐγένετο ἀδελφία*, id est, fuit bona uoluntas, siue beneplacitum. Hoc peculiari uerbo sacrae literæ significant fauorem ac beneuolentiam numinis, non tributam nostris meritis, sed ab ipsius gratuita bonitate profectam. Rursus illud, Reficiam cor, id est *ἀναπαύσω*, id est, refocillabo, siue recreabo. Nec enim ad cibum est referendum, sed ad remedium lassitudinis: cum ab hoc uerbo deductum sit nomen, quod mox uertit requiem, *ἀνάπαυσις*, quod in Psalmis uertit refectioem: Super aquas refectioem, *ἀναπαύσεως*. Et super Lucam cap. 10. Quoniam sic placuit ante te, *ἐν τῷ ἀδελφίᾳ* *ἐμπροσθέν σου*: id est, quia sic fuit bona uoluntas coram te. sic enim uertit Hieronymus. Eadè uox est, qua usi sunt angeli nunciantes pacem in terris in hominibus bonam uoluntatè: qua significatur gratuita beneuolentia fauorq; numinis erga mortales.

Et in Epistol. ad Rom. cap. 10. *Voluntas quidem cordis*) *ἡ εἰς ἀδελφίαν*, quod significat, aliquid animo gratum & acceptum. Aurelius Augustinus explicans carptim aliquot huius Epistolæ quæstiones, legit pro *ἀδελφία*, bona uoluntas, quemadmodum hic interpretatur in Luca. Græcæ uoci ad Hebræam effectæ, nihil habet sermo Romanus quod propriè respondeat. Nam nemo laturus sit, opinor, si quis dicat, Deliciū cordis mei. Sonat autem propensam beneuolentiam, ac fauorem gratuitum, quem quis gerit erga alterum, qualis est Dei erga nos. Hactenus Erasmus. Nunc & alterius cuiusdam duo tantum loca non incommoda adiungam, in quo acquiesco, *ἐν τῷ ἀδελφίᾳ*. Vulg. In quo mihi complacui. Erasmus. In quo mihi bene complacitum est. In hoc uerbo explicando, quàm uariè multi se torserint, tum ex doctissimis Budæi commentarijs, tum ex Erasmi annotationibus intelligi potest. Ego paucis dicam quod sentio. *ἀδελφία*, idem ualet quod sentire & existimare: à quo deductum est *ἀδελφία*, quod interdum casum habet adiunctum, atque idem ualet quod approbare. Iam uerò, quia quæ approbamus, illis quoque fauemus: inde factum, ut etiam significet, bene erga aliquem esse affectum. Rursus quia propensio ista animi ex eo nascitur, quòd res aliqua planè nobis satisfecit (necesse enim est, ut iudicium præeat animi assensionis) idcirco idem quoque ualet quod conquiescere, siue acquiescere in re quapiam: id est, *ἀναπαύσει* uel *ἀφρονέσει*, sicut hoc loco accipitur. Significat enim pater, Christum eum unum esse, quem cum intuetur, omnè in nos indignationem conceptam deponat. Itaque unus est *πατήρ* & pacificator Christus: quod optimè intelligi potest, si locus iste comparetur cum Exod. 28, ubi summus sacerdos iubetur apparere in conspectu Domini, laminam præferens in uertice, in qua sculptum esset SANCTVS DOMINI, ut (inquit) Dominus placetur ipsis. Nam fuisse summum illum pontificem, Christi æterni nostri pontificis typum, in Epistola ad Hebræos copiosè declaratur. Rectè igitur dicit Christus Iohan. 15, Sine me non potestis uenire ad patrem. Cæterum à uerbo *ἀδελφία*, oritur uerbale *ἀδελφία*, frequenter in nouo Testamento repetitum: cuius significationes ad thema sunt exigendæ, atque ad id de quo agitur accommodandæ. Idem alibi significat autem *ἀδελφία*, id ipsum quod Hebræi Razon רַצוֹן, Latini beneuolentiam, id est, propensam animi uoluntatem uocant: diciturque tum de gratuito & infinito illo Dei amore in electos, quos ipse prior ante tempora æterna in filio dilexit, ut Ephes. 1 pro quo uetus interpres solet beneplacitum dicere: tum uerò de mutua hominum inter se amicitia, qua fit ut alij aliorum commodis studeant, ut Rom. 10. atq; adeò de ea charitate, qua homines ipsum Deum diligunt, ut Philip. 1. quam postremam

strenuam notionem Erasmus uidetur non animadu-
 uisse. Sed idem rectè eos reprehendit, qui putarunt hic
 agi de hominum *ἀδελφία*, cum potius gratulentur ange-
 li hominibus gratuitam Dei cum ipsis reconciliatio-
 nem. Rectè igitur Chrysostomus ad Colof. *ἀδελφία* in-
 terpretatur *καταλλαγή*: quamuis hæc ab illa differat, ut
 consequens à causa. Non male etiam Theophylactus
ἰκανοποίησις: modò intelligamus, Deum non in ipsis ho-
 minibus, sed in uno filio acquiescere, in quo scilicet di-
 lectos suos *ἰχαρίσωμεν*, hoc est, gratis dilexit. Hic uide-
 tur tantum illa posterior seu actiua significatio nonni-
 hil declarari, tametsi & altera illa acquiescentiæ breui-
 ter obscureque attingatur. In prædicto uerò loco Lu-
 cæ, In hominibus bona uoluntas: non incòmodè pos-
 sis intelligere hominum propensam uoluntatem, quã
 angeli eis in agnoscendo & accipiendo hoc tanto bo-
 no imprecantur, & diuinitus dandam esse prædicunt.
 Primùm enim indicatur, Dei gloriam restitui per illã
 filij incarnationem. Deinde, hominibus pacem à Deo
 contingere, postremò uicissim ipsorum bona uolun-
 tas seu fides, erga tantum thesaurum diuinitus obla-
 rum requiritur, aut etiam hominum acquiescentia in
 eo ac fruitio denunciatur. Iam audiamus explicatio-
 nem cuiusdam Hebrææ linguæ probè gnari, ex ueteri
 Testamento sumptam, quæ quidem erit magis exem-
 plorum citatio, quàm ipsarum significationum accurã
 ta aut illustris tractatio. Facient tamen ista ipsa exem-
 pla plurimum cum ad declarationem, tum & ad confir-
 mationem ueritatis eorum quæ suprã differui. Sunt igitur
 apud Hebræos duo potissimum uerba, *רצה* Caphaz, & *רצה* Raza,
 quibus istud beneplacitum significari uidetur. Prius adscribam notationem de priori,
 postea de altero. Caphaz igitur propriè significat Placuit,
 beneplacuit, complacitum est. At quia hæc uerba
 Latina constructionem Hebræi uerbi non recipiunt,
 illa uerò datiuum præponunt: ideo si construitur cum
 accusatiuo, mediante articulo *הוא*, uel sine eo, neces-
 se est uertere uerbo *uolo*, importans simul adfectione,
 adfectione, acceptationem Isaiæ 55, Sic erit uerbum
 meum quod egredietur ex ore meo, non reuertetur ad
 me uacuum, sed perficiet quod uolo, Caphazti. 1. Reg.
 13, Et faciebat de extremitis populi sacerdotes excelso-
 rum, quoscumque Caphaz uolebat. Psalm 51, Ecce ue-
 ritatem Caphazta uoluisti, quæ est in absconditis. Et
 mox iterum: Quoniam non Caphazta desideras aut
 uis sacrificium, alioqui darem. Et iterum, Tunc uoles
 sacrificium iusticiæ. Psalm 15, Quodcumque uoluit fe-
 cit. Esaiæ 1, Sanguinem arietum, boum & hircorum
 non uoluisti. Oseæ 6, Pietatem uolui, & non sacrifici-
 um. Psalm 40, Sacrificium & oblationem non uoluisti.
 Similiter quando construitur cum infinitiuis, Deut. 25
 Et si non uoluerit accipere in uxorem cognatam suã.
 Iud. 13, Si uoluisset Deus occidere nos, non accepisset
 de manu nostra sacrificium. Iob 9, Si uoluerit rixari
 cum eo. Isaiæ 53, Et Iehoua uoluit contere eum. Itẽ
 si absolutè ponitur, Iob 33, Loquere, quia uolo iustici-
 am tuam. Ibi accusatiuus referendus est ad prius uer-
 bum, scilicet Loquere. Iob 4, Velis furores iræ tuæ, &
 uide omnem superbiam, & humilia eam. Oratio est e-
 cliptica, Velis: scilicet accendere. Et mox iterum, Vo-
 let caudam suam in modum cedi: id est, Si uoluerit,
 caudam suam in modum cedi extendet. Cantic. 2, Ne
 excitetis adamatam, donec ipsa uoluerit. Sed quando
 cõ ablatiuo construitur mediante præpositione Beth,
 tum Latina constructio fert, inò etiam exigit, ut expo-
 natur per Beneplacitum habuit, complacuit. Et in hac
 constructione non multum differt à uerbo *רצה* Raza,
 cum Beth constructo, quod bonam uoluntatem habe-
 re significat. siquidem Beneplacitum habere, & Bo-
 nam uoluntatem habere, propemodum idem signifi-

cant. Ideo etiam Græci utrunque uerbo *ἀδικῶ* reddi-
 derunt. Sed uideamus iam exempla. Genes 34. Nec
 cunctatus est iuuenis facere remissam, quia beneplaci-
 tum habebat in filia Iacob. Num. 14. Si beneplacitum
 habuerit in nobis Iehoua, introducet nos in terrã istã.
 Paulus hanc phrasin imitatus 1. Cor. 10. Sed non in plu-
 ribus eorum beneplacitum habuit Deus: uerbo Græ-
 co *ἀδίκῶ* reddidit. Deut. 21. Si uerò non habet be-
 neplacitum in ea, dimittet eã pro arbitrio eius. 1. Sam.
 18. Loquimini ad Dauid clam dicentes, Ecce beneplaci-
 tum habet in te rex. Psalm. 109, Non habuit beneplaci-
 tum in benedictione. Psalm. 147, Non in robore equi
 beneplacitum habebit. Isaiæ 13, Et in auro non habe-
 bunt beneplacitum. Et cap. 62, Quia beneplacitum ha-
 buit Iehoua in te. Idem quoque ualet uox patris, repe-
 tita Matth. 3. & 17, è cælo super filio: Hic est filius me-
 us dilectus, in quo mihi complacitum est. Ezech. 9,
 Non habeo beneplacitum in morte morientis, ait Do-
 minus Iehoua: sed conuertimini, & uiuetis. Participi-
 um præsens Caphez *רצה*. 1. Reg. 21, Da mihi uineã tu-
 am pro argento: aut si non uis tu, dabo tibi uineam p-
 ea. Psalm. 5, Quoniam non Deus uolens iniquitatem tu-
 es. Isaiæ 42, Iehoua est uolens propter iusticiam suam.
 Mich. 7, Volens misericordiam ipse. Et pluraliter
רצהו Caphezim: Nehem. 1, Qui uolunt timere nomẽ
 tuum. Malach. 3, Et angelus fœderis, quem uos uultis,
 ecce ille uenit. In statu regiminis Capheze *רצהו*.
 Psalm 35, Quabunt, & læti erunt, uolentes iusticiam
 meam. Psalm. 40, Agantur retrorsum, & ignominia affi-
 ciantur, uolentes malum meum. Et in genere femi-
 nino *רצהו* Capheza: 1. Par. 28. Et tu Salomo fili co-
 gnosce Deum patris tui, & cole eum corde perfecto,
 & anima uolente, seu prona ac prompta, uel etiam de-
 siderante. Inde nomen *רצהו* Caphez placitum, bene-
 placitum, complacitum. 1. Sam. 15, Et dixit Samuel, An
 beneplacitum ipsi Iehoua in holocaustis? Et capit. 18,
 Non est beneplacitum regi in dote. Iob 22, An bene-
 placitum omnipotenti, si te iustifices? Ecclesiast. 12,
 Non est mihi in eis beneplacitum: id est, non delector
 eis. Et mox iterum: Quæsiuit Ecclesiastes, ut inueni-
 ret uerba beneplaciti. Isa. 54, Et omnes limites tui in la-
 pides beneplaciti: id est, desiderabiles. Malach. 3, Vos
 eritis terra beneplaciti. Usurpatur tamen in aliqui-
 bus locis non pro ipso affectu tantum, uerum etiam p-
 intento seu proposito, seu actione & negotio aliquo,
 quod cui placet ut perficiatur. Ecclesiast. 3, Vnicuique
 beneplacitum suum est tempus, & tẽpus unicuique bene-
 placito. Cap. 5, Si calumniam pauperis, & rapinam iu-
 dicij & iusticiæ uideris in prouincia, ne mireris super
 beneplacitum aut instituto illo. Cap. 8, Habet enim omne
 beneplacitum suum tempus & modum. 2. Sam. 23,
 Ideo tota salus mea & omne institutum, ut nihil adeo
 germinet. Iob. 31, Si prohibui à beneplacito pauperes:
 i. à suo uoto, aut re expetita. In statu regiminis nihil
 mutat. Prouerb. 31, Et facit beneplacitum manuum iu-
 arum. 1. Reg. 5, Ego faciam omne beneplacitum tuum.
 1. Reg. 10, Rex Salomo dabat reginæ omne beneplaci-
 tum illius, quicquid postulabat. Psalm. 1, Et in lege Iehoua
 beneplacitum eius. Psalm. 16, Et in gloriõsis omne be-
 neplacitum meum. Psalm. 107, Ducet eos ad portum be-
 placiti eorum: id est, quò summis uotis desiderabant
 peruenire. Isaiæ 44, Ipse (dicit de Cyro) pastor meus
 est, & perficiet omne beneplacitum meum. Et plu-
 raliter *רצהו* Caphezim, Prou. 8, Melior est sapien-
 tia quàm margaritæ, & omnia beneplacita non pos-
 sunt æquiparari cum ea.

In statu affixorum: Psalm. 111, Magna sunt facta ipsi-
 us Iehoua, exquisita pro omnibus beneplacitis ipso-
 rum. Hactenus de priori uerbo: nunc de altero, nem-
 pe de *רצה* Raza dicamus. Significat igitur *רצה* Raza
 d 3 accur-

accurrere animo: hoc est, fauore & beneuolentia prosequi, prono & prompto animo esse, accurrere animo & affectu, bonam habere uoluntatem erga aliquem. Et quia uariè construitur, ideo uno uerbo Latino eius significatio exprimi non potest.

PRIMO, quando cum accusatiuo siue nominis siue pronominis construitur, tum licebit uertere Acceptare, approbare, amore, beneuolentia & prona uoluntate prosequi. Leuit. 26, Tunc acceptabit terra sabbata sua: id est, suauiter eis fruatur. Et iterum: Et tunc acceptabunt seu approbabit iniquitatem suam: id est, pœnam pro iniquitate accipient, eaque male fruatur. Et simili phrasi est usus Iesaias Cap. 40. 2. Paralip. 36. Donec acceptaret terra sabbatha tua. Psalm. 102, Quoniam acceptauerunt serui lapides eius. Prouerb. 3. Et sicut pater filium beneuolentia prosequetur. Ecclesiast. 9, Quia antea approbavit Deus facta tua. Ezech. 20. In odore fragrantiae acceptabo uos. Malach. 1, An acceptabo eam de manu uestra? 1. Reg. 29. Et scio Deus meus, quod tu es probator cordis, & rectos acceptas. Psalm. 51. Quoniam non cupis sacrificium, statim enim darem, & holocausta non acceptas. Psalm. 85. Acceptas Iehoua terram tuam, reducis captiuitatem Iacob: id est, beneuolentia & fauore prosequeris. Psalm. 119, Voluntaria oris mei accepta, obsecro. Malach. 1, Et oblationem non acceptabo de manibus uestris. Et cum affixis pronomibus: Genes. 33, Et receptasti me. 2. Sam. 24, Deus tuus acceptet te. 2. Paral. 10. Si eris in bonum populo huic, & acceptaueris eum, & loquutus fueris ad eos uerba bona. Iob 33, Orabit ad Deum, & acceptabit eum. Psalm. 44, Quia acceptasti eos. Ezech. uigesimo, Ibi acceptabo eos.

SECUNDO, si cum ablatiue construitur, mediante præpositione Beth, tum commode uertes, Bonam uoluntatem habuit. Et non multum differt significatione, & eiusdem est constructionis cum uerbo צפח Caphez. complacitum habuit. Differentiam autem illorum uidebis in uerbo צפח Caphez. 1. Paral. 28. In domo Iehuda est domus patris mei, & inter filios patris mei in me bonam uoluntatem habuit, ut constitueret me regem super omnem Israel. 1. Paral. 29, Propter habere me bonam uoluntatem in domo Dei mei (id est, quia toto pectore isti ædificio faueo, promotumque cupio) est mihi thesaurus auri & argenti. Psalm. 147, Non in tibijs uiri bonam uoluntatem habebit. Isa. 42. Electus meus, in quo bonam uoluntatem habuit anima mea. Mich. 6, An bonam uoluntatem habebit in millibus hircorum? Hagg. 1. Et ædificabunt domum, & bonam uoluntatem habebit in ea. **TERTIO**, si cum constructur cum בן im: Psalm. 50, Quando uidebas furem, currebas cum eo, scilicet animo: id est, consentiebas seu colludebas cum eo.

QUARTO, aliquoties absolutè ponitur, & licebit uertere Acceptum, gratum, approbatum esse. Deuter. 33. Et opus manuum eius sit acceptum. Iob 14. Acceptus erit uelut mercenarij dies eius. Psalm. 40. Sis bona uoluntate Iehoua, ut eripias me. Psalm. 49. Hæc est uia stulticiæ eorum, attamen posterius ipsorum ore suo approbant. Participium præteritum צפח Roze: Psalm. 147, Acceptat Iehoua timentes eum. Psalm. 149. Quoniam bonam uoluntatem habet Iehoua in populo suo. Participium præteritum צפח Rezui: Deuteronomij trigesimo tertio, Aser erit acceptus fratribus suis. Esther 20, Et erat acceptus multitudini fratrum suorum. In uoce passiuæ צפח Nirza, acceptum seu acceptabile factum est, bonæ uoluntatis factum est. Leuit. Et fiet acceptum ei, id est, pro eo. Et cap. 7. In die tertio non acceptabitur qui offert illud. Et cap. 19, Et si comedendo comedetur in die tertia, execrabile est, non accepta

bitur: id est, non erit acceptum, seu acceptabile. Cap. 22. Pro uoto non acceptabile erit. Isaia 40, Accepta est iniquitas: id est, pœna iniquitatis qua animi pœnitentia ducti, agnitione iniquitatis afficiuntur, ea approbatur, accepta & grata est, & habent in pœna pœnitentiæ bonam uoluntatem. Simili phrasi legitur in uoce actiua Leuit. 26, ex quo loco propheta eam desumpsit. In secunda coniugatione צפח Riza: Iob. 20, Filij eius quærent bonam uoluntatem pauperum, & manus eius reddent laborem ipsorum. In tertia coniugatione צפח Hirza, Leuit. 26. Tunc quiescet terra, & acceptabit sabbatha sua. In quarta coniugatione צפח Hitraza, & construitur cum præpositione אל El. 1. Sam. 29, In quo acceptum faciet se apud dominum suum. Inde nomina צפח Razon, gratia, acceptatio bona uoluntas beneuolentia, fauor, propensus animus, quem quis habet erga alium: Græcè *συνουσία*. Exod. 28, Et erit super fronte eius iugiter ad acceptationem illis coram Iehoua: id est, ut propter illum typicum sacerdotem, aut sanctum Iehoua, in suum uerum sanctum seu Meschiam respiciens, illis faueat. Leuitic. 19. Et sacrificabitis sacrificium retributionum ipsi Iehouæ, ad acceptationem uestri offeretis. Et cap. 22. In quocumque est macula, illud non offeretis, quoniam non ad acceptationem erit uobis: id est, Deus per tale insincerum sacrificium non placabitur uobis, nec cedit id uobis in gratiam. Prouerb. 10. Labia iusti agnoscunt bonam uoluntatem, sed os improborum peruersa. 2. Para. 15, Et cum omni bona uoluntate quæsiuit eum. Esdræ 10. Facite confessionem ipsi Iehoua, Deo patrum uestrorum, & facite bonam uoluntatem eius. Esther 1, Ut facerent iuxta bonam uoluntatem uiri & uiri: id est, uniuscuiusque. Psalm. 5, In modum scuti bona uoluntate coronabis eum. Psalm. 40, Facere bonam uoluntatem tuam Deus meus cupiui, pro quo autor epistolæ ad Hebræos *συνουσία* uertit. Prouerb. 8, Et hauriet bonam uoluntatem à Iehoua. Isaia 61, Ad prædicandum annum acceptationis: id est, acceptabilem, seu bonæ uoluntatis, pro quo Lucas uertit *συνουσία*. Item cap. 49, In tempore acceptationis exaudiui te. Paulus 2. Corin. 6, citans hunc Isaia locum, uertit Græcè *συνουσία*. Alias in nouo Testamento communiter nomine *συνουσία* uersum est: ut Luc. 2, Gloria in excelsis Deo, pax in terra, hominibus bona uoluntas. Matth. 11, Certè pater sic fuit *συνουσία* bona uoluntas apud te, &c. Legitur etiam de re animo accepta & grata: Deut. 33, Naphthali satur bona uoluntate, & plenus benedictione Iehoua loquitur enim de donis & bonis, quæ Deus in illum bona uoluntate contulit. Malach. 2, Non amplius respicere ad oblationem, neque accipere bonam uoluntatem de manu uestra: id est, munus bona uoluntate uestra oblatum. Porro Iacob patriarcha ex indignatione animi in malam partem accepit, Gen. 49, Quoniam in ira sua occiderunt uirum, & in uoluntate sua extirparunt bouem: in irem mutauit uoluntatem, & in libidine sua, non ex iusta causa, aut iure. Quoniam uerò cepimus dicere de beneplacito aut bona uoluntate, & uersores sæpe eadem Hebræa uocabula aliquoties etiam per simplex Volo & uoluntas uerterunt: ideo explicemus hic etiam ipsum uoluntas uocabulum. Fortè enim coniunctio harum uocabulorum aliquid lucis utriusque afferet. **VOLVO** igitur interdum accipitur pro cupio. Mar. 10. Magister, uolumus ut quod petierimus facias nobis: id est, cupimus, ac petimus. Sic Iohan. 8, Cupiditates eius uultis facere. Iohan. 12. Domine uolumus Iesum uidere: id est, desideramus. Heb. 12, Postea uolens hæreditare benedictionem. Aliquando uidetur significare non tantum desiderium rei, sed etiam ipsum desideratum effectum. Iohan. 6, uoluerunt eum accipere in nauim: ut Erasmus & Vulgata habet.

Atque

Atque ex Matthæi 14, & Marc 6, omnino apparet, eum esse ingressum nauim, & sedata tempestate ab ijs adoratum, qui unâ uehebantur. Ergo illa interpretatio nō uidetur conuenire, quæ scilicet uidetur innuere, ipsos quidem paratos fuisse illum excipere, sed nauim statim appulisse: quod non conuenit cum aliorum Euangelistarum narratione. Puto igitur, uerbū *Voluerunt* opponi illi quod antè dixerat, eos fuisse perterritos. Ex quo scilicet intelligitur, ipsos fuisse eum auersatos. Nunc igitur agnita eius uoce, & mutatis animis, eum quem fugiebant, cupidè accipiunt in nauim. Nam *uolere* uelle, sæpe aliquid amplius significat, quàm uelle solum aut nudum: sicut in generalibus Regulis traditur, Verba affectuum, & omnino motuum animi, aliquando etiam consequentes affectus simul complecti. *Uelle*, uidetur etiam significare idem quod *Probare*. Psal. 5, Quoniam Deus non uolens iniquitatem tu est id est, non desiderans: ut sanè in Hebræo est *Caphez. uoluntis* aliquando ipsam sententiam, quam quis uult, significat. Hebr. 10, Ecce Deus adsum ut faciam uoluntatem tuam: id est, tuum mandatum aut præscriptum. Sic Isaia 23, Voluntas Domini per manum eius dirigitur: id est, institutum & propositum, sicut supra ostensum est, Beneplacitum aliquando hanc uim habere. Sic in prece Domini petimus, ut fiat uoluntas patris in terra, sicut in cælo: id est, ea omnia, res aut facta, quæ Deus uult ac præcipit. Hoc modo sæpissimè accipitur: sicut etiam cum Christus dicit, eam esse uoluntatem patris, ut omnes sibi ab eo traditos seruet: & cū petit, ut non sua, sed patris uoluntas fiat: Sic etiā, cum dicitur facere uoluntatem patris. *Aliquid esse uoluntatem Dei*, significat ei placere. Prouerb. 11, Lapis perfectus uoluntas Dei: pro, placet Deo pondus iustum. *Terminus uoluntatis*, id est, meta desiderata. Psal. 107, Lætatur quod deduxeris eos ad terminum uoluntatis eorum. *Uoluntaria sacrificia*, & similes locutiones, ueniunt à *Nadab* rhemate: de quo uide in SPONTANEVS. Iohannes primo capite, definit eos esse filios Dei, qui Christum recipiunt: eos uerò ait nasci non ex sanguinibus, nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri. Iudæi enim putabant, filios Dei eos esse, qui uel ex sanguine aut semine Abraam essent propagati, uel qui suo studio ex naturæ bonitate sese pietati dedidissent: præsertim autem, si quid heroici ac præstantis animi & ingenij eis inesset, qui pleno impetu ad uoluntatem ferrentur. Illos enim illo suo laudabili studio ac impetu ita paulatim in bonis honestisq; actionibus, & in ipsa iusticia ac meritis coram Deo proficere, ut tandem omnibus uirtutibus ornati, citra ullum dubium filij Dei, iusti ac uita æterna digni censerentur. Verum Iohannes illas opinioniones aut somnia adipiscendæ uirtutis ac iusticiæ reijcit, & docet omnes oportere renasci, adeo esse malæ eorum naturam: idq; ex Deo, ac per receptionem Christi. Sicut & postea Iohan. 3. Christus contra Nicodemum de eadem re disserit, totam priorem natiuitatem reijciens ac damnans. 2. Tim. 2. dicuntur homines teneri à satana captiui ad eius uoluntatem: id est, ut præstent ac perpetrent ea quæ ipse uult, & ad quæ illa sua mancipia pro libitu libidineq; sua impellit. Petrus primæ, cap. 4, dicit Christianos ante conuersionem fecisse uoluntatem gentium: id est, secundum uoluntatem prauam ac turpem, seu secundum libidinem eorum uictitasse, aut more gentilium uitam egisse.

BENIGNITAS, & *Beneficentia*, exponentur in uoce *Misericordie*.

BESTIA, ut Augustinus super Gen. ad literam sentit, significat omnes feras syluestres: sicut sæpe legitur Bestias agri. Ciuitas facta est habitaculum bestię, Soph. 2. Plerunque tamen grandiores & crudeliores feræ hoc nomine, sicut & apud Latinos, significantur.

Genes. 37, Bestia mala deuorauit filiū meum. Prou. 30, Leo est fortissimus bestiarum. Hinc atrox illud supplicium, quo rei obijciabantur bestijs: id est, pardis, pantheris leonibus, ursis. Ad quem morem alludit Paulus 1. Corinth. 15, cum dicit se Ephesi cum bestijs depugnasse: uolens indicare, se in extremum discrimen uenisse. nisi uelis per metaphorā intelligere, cum bestialibus hominibus. Per metaphoram porro significantur gentes impiæ, feræ, truces, aliquando etiam specialiter tyranni: ut Psal. 74, Ne tradas bestijs animas tuorum. Sic & Psal. 79. Hinc Paulus Cretenses uocat malas bestias. In Apocalypsi, bestia gestans meretricem, ipsum imperium Romanum est, aut etiam unâ & Antichristus: sicut & Dan. 7. quarta bestia. Hilarius super Psal. 74 & 118. hanc uocem exponit inquit: Bestia quippe est dæmon, bestia illius perfidiæ imitator homo. Bestia tandem is est, qui cum multa pollicitus sit Deo, fregit fidem. Aretas Cæsarien. super Apocal. Deus enim dedit in corda eorum, ut dent regnū suum bestiæ, &c. **Varia est bestię significatio.** nam alicubi quidem Antichristus hac appellatione designatur: aliàs uerò ipse satanas. Quare Antichristi bestiam uide supra in ANTICHRISTO. **Varia bestię in Scripturis, uarijs translationibus & collationibus seruiunt:** de quibus suo loco in Alphabetica hac serie dicitur. Bestia, pro Romano imperio, per papam instaurato, Apocal. 12 & 13: Datum est illi bestię bellum facere cum sanctis, & uincere eos. Item 16 & 17: Hi (reges Romani imperij) cum agno pugnant, & agnus uincet eos, &c. Apoc. 19, Vidi bestiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos, ad faciendum prælium cum illo qui se debat in equo albo. Apoc. 14. Adorantes bestiam, cuiusq; imaginem, & suscipientes characterem bestię, sunt ij qui magnum aut parua INTERIM, instaurante bestię regnum suum Antichristo, ope Monarchæ uictoris acceperant.

BIBERE, notæ significationis uox est: sed præter propriam, plures habet figuratas. Primum, per metaphoram ad spiritualium beneficiorum perceptionem translata, significat idem quod frui. ut Christus dicit Iohan. 6, Omnes uicturos oportere bibere eius sanguinem: id est, frui beneficijs sanguine ipsius partis. Et prius Ioh. 4, pollicitus erat Samaritanæ aquam, de qua si quis biberet, non esset sititurus unquam. Et septimo capite, inuitat omnes sitientes, ut ueniant ac bibant Sic Esaiæ 55, inuitat Deus omnes sitientes, ad fruendum aqua spiritali. Eodem modo & Esaiæ 65, dicit Dominus: Serui mei comedent, & uos esurietis: serui mei bibent, & uos sitietis. Sic Prouer. 5 & 9. 1. Corinth. 10, Bibere spiritualement potum. De hoc significato uide supra in AQUA. Deinde, per quandam catachresin rapere significat: ut Iob 5, Bibent sitientes diuitias eius. Esaiæ 37, Ego fodi, & bibi aquam: id est, quæ oppugnaui, ea diripui. Tertio, ualet aliquando idem quod percipere aut discere, sicut & Latini sua metaphora *imbibere* utuntur: ut Iob 15, Bibere iniquitatem. Et 24, Bibere subsannationem: id est, discere aut assuefieri ad scelera & derisionem hominum. Sic & Prou. 9, bibere pro discere accipitur. Apoc. 18, De uino iræ fornicationis eius biberant omnes gentes: id est, didicerunt ab ea idololatriā, contaminarunt se ea. Quarto bibere sæpe significat pati, quæ Prouerbialis loquutio etiam Ethnicis fuit usitata: ut ostendit Erasmus Chilliade 1. Cent. 8. Prou. 81. Vndecunq; demum sit hæc forma loquutionis desumpta, siue à bibedi certaminibus, ubi coguntur cōuiuæ ebibere certas mensuras, nō sine fastidio, ac etiā corporis ualetudinisq; læsione: siue ab ijs qui metuunt uenena: siue deniq; quod sicut patresfam. soliti sunt olim singulis suū ditnēsum cibi ac potus distribuere, sic & Deus non tantum beneficia, sed &

pœnas dispertiat pro merito, in genere humano. sic
cut & Demosthenes pro Corona percommode dicit,
Omnes tunc gentes uarijs calamitatibus afflictas esse:
sic & Athenienses coactos esse suum *ἐπιβάλλον μίση*, suā
portionem aut dimensum cladiū accipere. Huius por-
rò significationis sunt innumera exempla. Ieremias in-
tegrum typum rei habet cap. 25. nam ille ibi iubetur cir-
cumferre calicem pœnarum, & omnibus regibus ac
gentibus propinare. Sic Ierem. 49. Ecce quibus non
erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, &
tu quasi innocens relinqueris. Non eris innocens, sed
bibendo bibes: id est, uehementissimè castigaberis,
quandoquidem etiam meus populus castigatur, qui
nō perinde dignus fuit plagis. Cui non erat iudicium:
id est, collatione tui non fuit admodum reus. Sic & in
novo Testamento dicit Dominus ad filios Zebedæi:
Potestis ne bibere poculum, quod bibam ego? id est,
perferre crucem ac cruciatus. Matth. 20. Item Matth.
26, Transeat à me calix iste, ne bibam eum. Iohan. 18,
Calicem quem mihi dedit pater, non bibam eum? *Ebi-
bere feces*, significat longè grauissimas calamitates per-
peti. Verùm de hac significatione aliquid etiam postea
in uoce CALICIS, aut POCULI, *Fecum & Ebrietatis*,
dicitur. De torrente in uia bibere, Psal. 110, etiam crucem
perpeti significat. Hoc enim peregrinantium, & caren-
tiam commodis huius uitæ est, seu incommodè uicti-
tantium: qui sæpe qualicunq; potu ac uictu contenti
esse coguntur. Aliqui intelligunt sedulitatem Christi
in præstanda patri obedientia, & peragendo eius ope-
re denotari: & esse allusionem ad morem militum, festi-
nantium in cædem hostium, quos ita auidè persequun-
tur, ut licet esuriant, sitiant ac defatigati sint, tamen nō
diuertant ad locum, ubi se commodè reficiant, sed obi-
ter in uia hauriant ex aliquo torrente aut sordida lacu-
na, unde sese reficiant. *Bibere urinam*. 2. Reg. 18, & Esa-
iæ 36, significat summa mala egestatis & famis perpeti:
ubi sæpe destituti necessarijs, sordidissima quæq; præ-
siti ac fame ingerunt. *Sanguinem hostium bibere*, est ple-
nam uictoriã ultionem uel de hostibus consequi. Num.
23, id Bileam de Israelitis prophetizat, quod sint sangui-
nem hostium suorum bibituri.

BLASPHEMIA, Græcum, à *βλασφημία* τὸ πῦλον, à læ-
denda fama dictum, non quoduis genus maledicti aut
conuicij, præsertim in Sacris significat: sed propriè, id
quod contra Deū, aut eius religionem dicitur: tamen
non rarò etiam de obrectatione in proximum apud
prophanos reperitur. De quo crimine Lex Leuitic.
24 fertur, & exemplum etiam blasphematoris lapidati
proponitur. Sic porrò uox hæc accipitur Esaie 36. 37.
2. Reg. 19. Sic Esaie 5 eloquium Dei blasphemari dicitur.
Sic Matth. 9 & Marc. 9, cogitant Iudæi blasphemare
Christum, cum offert cuidam remissionem peccato-
rum, quia ea ratioe sibi diuinam autoritatem tribue-
bat. Act. 26 dicit Paulus, se Christianos persequendo,
multos compulisse blasphemare Deum: sic eorum ab-
negationes uocans. Aliquando tamen *Blasphemia* etiam
maledictum contra ueros doctores dicitur: ut Rom. 3.
1. Corinth. 4. quia etiam talia maledicta simpliciter in
Dei contumeliam uergunt. Inter blasphemias autem
distinguit Christus Mar. 3. & dicit, omnes alias esse ex-
piabiles, aut remissibiles, præter eam quæ fiat in Spi-
ritum S. quæ est (ut pleriq; intelligunt) agnitam uerita-
tem sponte ac pertinaciter uituperare, siue reclamare,
aut agnitos errores tueri. Dicitur autem *Blasphemia in
spiritu* quia eius personæ est proprium doctrinam pro-
pagare. & ducere in omnem ueritatem: quare oblo-
quens ueritati, Spiritui S. maledicit. Paulus dicit 1. Ti-
moth. 1, se fuisse blasphemum in Christum & Ecclesiã:
sed condonatum sibi id crimen, qui insciens fecerit.
Sunt uerò uarij blasphemandi modi. nam etiam tacita

prauis animi cogitatione Deus blasphematur, ut Psal.
10 inquit: Quare impius blasphematur Deum, dum dicit
in corde suo, Non requires?

BONVM, in Sacris literis uariè accipitur: aliàs de
increato, aliàs de creato, eoque morali, utili aut suau-
Sunt & aliàs huius uocis significationes, de quibus om-
nibus suo ordine dicemus. PRIMVM, sæpissimè
Deus dicitur Bonus ברוך uel הַיָּהוָה benignus: de poste-
riore uoce in uocabulo MISERICORDIÆ dicam.

Cum autem Dei bonitas celebratur, tum potissimum
ea ipsius uirtus prædicatur, qua erga suas creaturas est
bonus aut beneficus: tamen ipse totus, & omnes eius
uirtutes, ipsissima bonitas sunt. Cum autem Deus sit
& perfectissimè bonus, & omnis bonitatis in tota re-
rum natura unicū fons, ut & Plato pronunciat in suis
definitionibus: alia autem omnium creaturarum bo-
na non tantum finita & imperfecta, ac aliunde proue-
nientia, sed etiam plurimis malis, præsertim post homi-
nis lapsum contaminata sint, meritò à Christo solus
Deus bonus esse dicitur Matth. 7 & 19, ac Luc. 18. Ta-
meti in hisce locis, Deus in genere, nomine omnium
suarum uirtutum ac iusticiæ laudari uideatur. Hoc om-
ne bonum suum Deus aliquo modo ostendit Mosi,
Exod. 33 & 34. Cæterum ubi propriè, relatiuè, & quo-
ad nos prædicatur esse bonus, innumera planè sunt lo-
ca: ut Psal. 73, Bonus est Deus Israeli, ijs qui mundo
sunt corde. & Psal. 118, Confitemini Domino quoniam
bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Thren.
3, Bonus est Dominus sperantibus in eo. Rom. 11. Erga
te uerò bonitatem, si permanseris in bonitate: id est, si
perrexeris fide frui misericordia ac beneficentia Dei.

SECUNDO, de bono creato dicitur. Genes. 1, quod
Deus uiderit omnia quæ fecerat, & erant ualde bona:
unum quodq; nimirum habens bonitatem sui generis.
Hominis enim & angelorum bonum, est morale bonū
propriè, aliarum uerò creaturarum tantum naturale.

TERTIO, de bono morali propriè dicitur, quod est
essentialis integritas imaginis Dei: id est, intellectus &
uoluntatis, & conformitas omnium qualitatū aut uir-
tutum, cogitationum, conatum, & actionum siue in-
ternarum, siue etiam externarum, cum norma bonita-
tis diuinæ, & Decalogo. Talis creata bonitas, licet non
amplius in sua prima integritate existat, sed in pijs ali-
quo modo instauretur per Spiritum S. & renascentiã,
celebratur suo loco & ordine in Sacris literis: ut Vir
bonus. 2. Sam. 18. 1. Reg. 1. Psal. 25, Benefac Domine bo-
nis. Bonus thesaurus, bona arbor, Matth. 12. Sic in Pro-
uerbijs sæpè boni prædicantur, eisq; præmia promittun-
tur: ut 12. 13. 14. Matth. 22. Sic Act. 11. Barnabas dicitur
uir bonus. 1. Cor. 15, Boni mores, & toties bona opera.
Sicut uerò suprâ dixi de Deo, quod, cum in eo celebra-
tur bonitas, tum potissimum laudetur illa eius benefi-
ca & paterna erga nos uoluntas: (nam ea nos maximè
indigemus, & plus cum ea quàm cum alijs eius uirtu-
tibus aut bonitatibus commercij habemus) ita cõtrã,
cum hominis morale bonum prædicatur, tum signifi-
cat omnes uirtutes. nam Deus omnes flagitat, & præ-
sertim ipsius cordis reëctitudinem. QUARTO, ali-
quando bonum, quasi extra hominem, significat id quod
decens, iustū ac reëctū est. ut Psal. 14, Nō est qui faciãt bo-
num. Psal. 34, Declina à malo, & fac bonū. Psal. 73, Ad-
herere Deo bonū est. Psal. 92, Confiteri Dño bonū est.
Psal. 118, Bonū est cõfidere Dño, &c. Act. 6. Nō est bonū,
nos relicto uerbo ministrare mēsis. Sed hæc significa-
tio ualde est præcedēti uicina. Sic etiã dicitur fama &
nomen bonū, id est laudabile: 1. Tim. 6. Bonū certamè,
2. Tim. 4.

QUINTO, de bono utili sunt innumera
exempla. ut Gē 49, Vidit requiẽ quod esset bona. Et 45,
Bonum Ægypti uestrū erit. Num. 13 & 14, Terra bona.
2. Sam. 18, Bonus nuncius. Psal. 34, uidere dies bonos.

Sic Marc. 9, sal bonum esse dicitur. Esaiæ 1, Bona terræ comedetis: id est, fruemini omnibus fructibus & commodis huius terræ. Bona si suscepimus de manu Domini, Iob. 2. Bonum esset illi, si natus non fuisset: Matth. 26. id est, satius, utilius ei fuisset nunquam nasci, quam quod natus, & filij hominis proditor factus sit. Huc facit Regula philosophica, quod minus malum respectu maioris bonum sit. significat igitur hic *Bonum esset*, tolerabilius, aut minus malum esset. **SEXTO**, uidetur sæpè etiam idem ualere quod salutare. ut Prouerbiorum decimotertio: Doctrina bona dabit gratiam. secunda Corinthiorum secundo: Bonus odor Christi sumus. Ephes. 4, Sermo bonus & ædificans. 1. Timoth. 3, Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ibidem 4, Bonus eris Christi minister. 2. Timoth. 1, Bonum depositum custodi. Hebr. 6, Bonum Dei uerbum gustare. Rom. 8. Illis qui diligunt Deum, omnia cooperantur in bonum: id est, tandem omnia illis fiunt salutaria, etiam ipse satan, peccatum ac mors. **SEPTIMO** significat suauem. ut Genes. 3, Vidit mulier quod fructus esset bonus ad uescendum. 2. Par. 18, Non prophetat mihi bonum: id est, non dicit grata. Iob 21, Ducunt in bonis dies suos. Prouer. 24, Comede fili mi, quia bonum est. Vicina huic significatio est, cum idem ualeat quod formosum. ut Exod. 2, Puer Moses erat bonus. Genes. 6, Filij hominum erant bonæ. **OCTAVO**, ualeat aliquando hæc uox idem quod sufficiens, aut satis grande: sicut & à Latinis aliquando accipitur. ut Genes. 15, & 25, Tu sepelieris in senectute bona: id est, plenè peracta uitæ mensura. 2. Par. 30, Leuitæ qui habebant intelligentiam bonam: id est, sufficientem. **NONO**, accipitur & pro solenni, aut læto. 1. Reg. 25, In die enim bona uenimus ad te: id est, in die læta ac solenni. Sic esse corde aut animo bono. in Hester. **DECIMO**, bonum significat etiam licitum. ut 1. Timoth. 4, Omnis creatura Dei bona est: id est, licita, non coinquinans conscientiam. Sic Paulus in priori ad Corinth. cap. 7 dicit, Bonum esse mulierem non attingere, sed cœlibem uiuere: id est, licitum, aut etiam commodum esse. Sic ibidem & coniugium & cœlibatum dicit esse bonum: Existimo igitur hoc bonum esse, propter instatam necessitatem, quod inquam bonum sit homini sic esse. Al ligatus es uxori, ne quæras dissolutionem: solutus es ab uxore, ne quæras uxorem. Posses rectè exponere de bono licito, quod utrunque sit licitum, & tum à Deo tum & ab hominibus probatum. Confirmat mox ipse Paulus hanc interpretationem, dum negat nuptias esse peccatum, sed tamen habere suam afflictionem. Quare etiam utile bonum includit, sicut infra inquit: Hoc autem dico ad uestrum *συμφερον*, id est, ad uestrum commodum. Eadem huius uocis uis est etiam in fine Capitis: Si quis seruat suam uirginem, bene facit: itaque qui dat nuptum, bene facit: qui uerò non dat nuptum, melius facit. Meliorem dicit esse cœlibatum, quia (ut ipsemet exponit) minus habet afflictionum in carne. Impiè ergo fecit Hieronymus, qui studio celebrandi cœlibatus, bonum hic opponit uitio. quasi Paulus dixerit, Cœlibatum esse rem sanctam & meritoriam: & contrà, Coniugium rem uitiosam ac peccatum. Quare rectè eum Augustinus hoc nomine reprehendit.

VNDECIMO, habet hæc uox phrasem quædam: ut, Bonas ostendere uias suas, Ierem. 21, pro tueri, excusare uerum de bona ac mala uia postea in uoce **VIA** dicitur. Bonum facere necesse est, Galat. 6: id est, piè uiuere. Bonum est æmulari in bono semper: id est, sequi recta ac pia. *Alquam rem facere bonam*, est corrigere. ut Ierem. 7. 26, Bonas facere uias suas: id est, corrigere. Vincere in bono malum, est beneficijs iniurias superare: Rom. 12. *Opera bona* dicuntur ea, quæ in fide ac secundum uerbum, in gloriam Dei & utilitatem proximi

fiunt. *Bonum esse aliquid alicui in alicuius facie aut oculis*, est alicuius iudicio placere. Genes. 19. & 45, Bonum fuit in oculis Pharaonis, quod fratres Ioseph uenerint. Non habet hæc lingua aliquod uerbum, quod propriè simplex placere significet, ideo hac periphrasi utuntur in eo sensu. 2. Corinth. 8. Bona prouidere non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus: id est, non tantum ea quæ Dei iudicio probantur, sed etiam hominū honestorum. *Facere aliquid in alicuius bonum*. ut, Time Deum, & custodite eius præcepta uobis in bonum: Deuter. 6 & 10. Sic Paulus dicit Rom. 13, Est minister Dei tibi in bonum. *Bonus oculus*, ponitur pro beneficio & misericordi. Prouerb. 22. Contrà malus in sequenti, pro immiseri cordi, aut etiam inuido. Sic Matthæi uigesimo, *Oculus nequam*, pro inuido homine accipitur. Genes. 1, Omnia quæ fecerat Deus, erant ualde bona: id est, ualde præstata ac laudabilia, unumquodque in suo genere, alia ualde honesta, alia ualde utilia ac commoda, alia suauia, &c. *Diuitias bonitatis Dei* con temnere, Rom. 2: pro, diuitem bonitatem. sicut & diuitias sapientiæ, de qua re prolixius in Regulis, & in uoce **DIVES**. *In bonitate Dei permanere* Rom. 11, Considera bonitatem Dei, si in eius bonitate manseris: id est, eius beneficentia. uide **PERMANEO**. Bonum uestrum non blasphemetur, Rom. 14: id est, ne bonam doctrinam, aut religionem ueram, in infamiam male uiuendo adduxeritis. *Bonum & Bona* dicuntur aliquando Spiritus beneficia, cum in hac uita, tum in altera. ut Psal. 27. Credo uidere bona Domini in terra uiuentiū. Psal. 103. Bonis replet Deus desiderium tuum.

BOS, operarium per metaphoram significat, præsertim syncerum doctorem. Deuter. 25, Non obligabis os boui triturati: quod Apostolus 1. Corinth. 9. exponit de ueris doctoribus publico stipendio alendis. Loquutio autem inde sumpta est, quod in multis locis non tantum equis, sed bobus triturant, agitando eos per manipulos in area, ut sic pedibus spicas proterant. qui mos Germanis est ignotus. Iam, fame stimulati apprehendere subinde aliquid uel paleæ, uel frumeti pedibus substrati solent: id est, ne facere queant, auari agricolæ eis os obturant, sicut in Germania ferocibus caballis. Quod ergo ibi dicit Paulus, Num Deo sunt curæ boues? intelligit de summo gradu, Deum non potissimum huc respexisse illo mandato, nec præcipuam ei curam esse boum: sed potius suorum ministrorum, syncerorum doctorum. In malam partem, pro persequutoribus accipitur. Psal. 22: Circūderunt me boues multi, tauri Basan obsederunt me. *Arare boue & asino*, ut supra exposui, significat, non seruare in rebus legitimum ordinem ac proportionem. In Prouerbijs dicitur, Iuuenis sequitur adulteram, sicut bos ad mactationem.

BRACHIUM, est uox notæ significationis, si de propria quærat. Sed figuratè sunt explicandæ. **PRIMUM** ergo, quia homines in brachijs habent robur & instrumentum actionum, ideo per metaphoram hæc uox ad omnem potentiam, uim, opem, & denique gloriam transfertur. ut Psal. 44. Brachium eorum non saluabit eos: sed dextera tua. Iob. 35, Propter uim brachij tyrannorum: id est, propter eorum potentiam. Sic impiorum brachium confringendum prædicitur Iob 31, & 38. Psal. 10 & 37. Brachia peccatorum conterentur, confirmata autem iustos Domine. Sic accipitur Ierem. 48, Ezech. 30, Zach. 11, ubi brachium arescere dicitur. Isaiæ porro 33, orat Propheta inquis: Brachium nostrum esto mane, & salus nostra in tempore tribulationis. id est, adiutor & corroborator. **SECUNDO**, eodem modo etiam de Dei potentia uoce *Brachij* Scriptura utitur: ut Iob 40, Si habes brachium sicut Deus. Et Psal. 89, Deo est brachium cum fortitudine, robusta erit manus sua, exultabit dextera

dextera eius: id est, brachium forte. Et in magnitudine aut extensione brachij sui, Deus uel pios uel impios liberare legitur, Exod. 15. Psal. 77. 79. 89. Psal. 136. In manu potēti, & brachio exerto: quod bellatores pugnantēs, uel etiam alij uehementius laborantes, nudant brachium, tum ut impedimenta uestium remoueant, tum ut minus calefant, uel potius refrigerentur: quomodo & Ierem. 32. Ezech. 4. & 1. Reg. 8. reperitur. In prædicto loco Ezech. est, Brachiū tuum nudabis, & prophetabis contra Ierusalem: id est, instar fortis & ardentis bellatoris pugnabis tuis concionibus contra Ierosolymam. Tertio, quia præcipua potētia Dei ad destruendum regnum Satanę, est eius filius incarnatus, per quē etiam secula condidit: ideo brachium Dei pro ipso Meschia ponitur, Esaię 51. 52. 53. 59 & 63. Sic de Meschia possis & illud diuę Virginis accipere, Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui: id est, per Meschiam destruet regnum satanę, & liberabit suos. Porro phrasēs huius uocis ex præcedentibus sunt perspicuę: ut, *Ponere carnem brachium suum*, id est, fide humana ope, seu eam habere pro firmo præsidio. Ierem 17, *Carnem brachij deuorare*, est suas res, sua præsidia ac fratres perdere. *Brachij alicuius innitit regem*: id est, aliquem habere ad manū, eius opera in præcipuis negocijs uti. 2. Reg. 5 & 7. Simili fermē phrasē dicitur Latinis *Amanuentis*.

BVRDONES, pro mulis, habet Vulgata, 2. Reg. 5. Obsecro concedatur mihi de terra hac onus duorum burdonum.

BRABEVM, aut *brauium*, propriē est præmium, cursu aut alio genere certaminis uincētibus propositum. Paulus pro uita æterna, aut corona glorię, 1. Corinth. 9 accipit. Sic & Phil. 3. reperitur. Sumpta autem est metaphora à consuetudine Græcorum, & etiam Romanorum, qui in illis suis panęgyribus uaria præmia certantibus cursu aut alijs modis proponebant, quę brauia uocauerunt. *καταβραβείων* Col. 2, significat brauium præcipere, quasi dicas perbrauiare. Metaphora est sumpta à certantibus in stadio, præsertim cursu, ubi nonnunquam aliquis mala arte iam uictorem impedit, ne planē uincat: sicut apud Virgilium Nisus Salium impedit, ne feliciter peracto cursu uictor præmium accipiat. Simili prorsus ratione dicit Galat. 5. *Currebatis pulchrē, quis uos impediuit?* &c.

BYTYRVM, pro delicijs & copia rerum utiliū ponitur: sicut & pinguedo. ut Deuteron. 32. Butyro bouis eum aluit, & pinguedine ouium. Iob. 20. Non uidebit impius riuulos & flumina torrentium mellis & butyri: id est, non fruetur copia rerum optimarum. Ibidem 29. Quondam lauabā uias meas butyro. Sed Psal. 55, prædicatur mollicies aut lenitas butyri, per quam adulectio & blandiloquētia significatur. inquit enim: *Leuiora sunt butyro ora eius, at prælium cor eius*. Iud. 5. ponitur pro lacte: In phiala fortium obtulit butyrum. id est, lac. *Butyrum enim comedere*: pro, communi uita uiuere, & communem sortem experiri: de Meschia prædicatur Esai. 7. *Ut discat eligere bonum, & reprobare malum*. Quia experiētia communis uitę, malorum ac bonorum docet iudicium. Tali enim uictu multum etiā hodie in Iudęa utuntur. Sic Epistola ad Hebręos: dicit, eum per omnia factum alijs similem, & tentatum, ut posset alijs compati. Vide & infrā in **MELLE**.

BYSSVS, sicut & purpura, pro elegantiori & preciosiori uestitu ponitur, Ezech. 16. & Luc. 16, dicitur diues bysso & purpura fuisse indutus. Sic & de meretrice Apoc. 18 habetur. Apoc. 19, in meliorem partem de spiritali ornatu accipitur: Et datum est sponsę agni, ut amiciatur bysso puro ac splendido. Byssus enim sunt iustificationes sanctorum.

C



ABALA, uox Hebręa, quę in sacris quidem literis non reperitur, sed tantum apud Iudęorum Rabinos, à recipiendo uenit. Similis autē significationis & etymologię est leca, itidem ab accipiendo

dicta: quia uera doctrina à Deo quidem traditur, sed ab hominibus accipitur. De qua re ac uoce fortē aliquid plenius in uocabulo *Traditionis* dicitur.

CABVS, mensurę genus est, 2. Reg. 6. Quarta pars cabi stercoreis columbarum 5. argenteis emitur. Alioqui in Scripturis non reperitur. **CABVM** autem uolunt interpretes capere 4 sextarios, & sextariū 6 oua.

CADERE, primū habet istam notissimam significationem, cum quis uel stans, uel alioqui ex superiori loco in inferiorem corporaliter collabatur: cuius significationis sunt innumera exempla in Scriptura. *Secundō*, Cadere significat mori, aut interire, quod qui interficiuntur, mortui concidunt. & alioqui homines dum uiuunt ac ualent, stare & ambulare solent: at ubi moriuntur, destituti uiribus concidunt. 1. Corinth. 10. *Ceciderunt uno die 23 millia*: id est, interierunt. Quę metaphora etiam Latinis ac Græcis est receptissima. 2. Reg. 14, & 2. Par. 25. *Ne cadas tu, & Iudas tecum*. Hinc illud creberrimum Scripturę, *Cadere in gladio*. Psal. 78, *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt*. *Tertio*, cadere significat per metaphoram idem quod peccare: quia est spiritalis quidam lapsus, ruina aut offensio. Pro uerb. 24, *Septies in die cadit iustus*. Et 25: *Iustus cadēs coram impio, est fons perturbatus*. Hier. 8: *An qui cecidit, non resurget?* 1. Corinth. 10. *Qui stat, uideat ne cadat*. *Quarto*, cadere significat quoquo modo perire, ut 1. Sam. 14, *Non cadet capillus de capite Ionathę, dicit populus ad Samuelem*: id est, nulla prorsus læsio uel minimę parti corporis eius inferetur, nobis eum defendentibus. Sic & 1. Reg. 1. Sic, quamuis maiorem calamitatē notat: ut si quis decidat ex sua opulentia, gloria, potentia ac dignitate. Sic toties dicitur cecidisse, id est, periisse, aliqua ciuitas: ut Esaię 21. & Ierem. 51, *Cecidit Babylon*. Quę loquutio & in Apocal. crebrō reperitur. Sic Christus Matth. 10. inculcat, *Non cadere unū folium aut passerem sine uoluntate patris*: id est, non interire. Sic dicitur *Cadere coronam capitis*, Thren. 5. *Cadant à consilij suis*. Psal. 5: id est, irrita sint eorum consilia & conatus. Eodem modo & uerbum *Promissio* aut prophetia dicitur *Cadere*, si irrita fiat. 1. Sam. 5, *Non cecidit ex omnibus uerbis Samuelis unum*: id est, omnia rata & firma fuere, aut constitere, uerissimaque fuisse deprehensa sunt. Et Luc. 10, *Non cadet de Lege apex unius*. Sic Iosue 21 & 23, *Non cecidit ullum uerbum bonum ex omnibus quę loquutus est Dominus de te*: id est, omnes eius promissiones fuere ratę ac impletę, omniaq; promissa bona tibi contingere. Eadem loquutio reperitur, & 1. Reg. 8, & Iud. 2, *Non cadere faciebant de actis patrum, & uia illorum dura*. Numer. 6, *Cadent dies priores*: id est, erunt irriti, non numerabuntur. *Quinto*, Cadere significat etiam transfugere, aut deficere: ut, De Manasse ceciderunt ad Dauidem. 1. Paral. 12. 2. Par. 15. Sic fermē Germani dicunt, *abfallen*. *Sexto*, Cadere significat irruere: ut Genes. 2, *Deus fecit cadere in Adamum somnū*. Cecidit timor in aliquem, Hoseę 10. Apoc. 7. id est, irruit. Ezech. 8, *Cecidit manus Domini super me*: id est, irruit. Et Luc. 15, *Pater cecidit*: id est, irruit in collum perdit filij. Sic fortē & illud Luc. 11, *Domus super domum cadet*: id est, irruet, faciet impetū, alia familia inuadet aliam, &c. *Septimo*, Terra cadet uobis in hæreditatem, Numer. 34. Iosue 13, Ezech. 45. Quę phrasē aut significatio inde orta est, quia proiectis fortibus partiebantur terram. Vnde illud, Funes ceciderant